






VIII
FAB.
1644
8
1
7
85










VIII
Var

Index eorum qꝫ hoc volumine continentur



NICOLAI FABRI
LVDOVICI XIII.
FRANC. ET NAV. REGIS
CHRISTIANISSIMI
Consiliarij ac Præceptoris

OPVSCVLA.

AD CHRISTIANISSIMVM REGEM,

CVM EIVSDEM FABRI VITA.

Scriptore Fr. BALBO *in curia Monetarum Galliæ Generali Regis Aduocato.*






PARISIIS,

Sumptibus PETRI CHEVALIER, via Iacobæa, sub signo Diui Petri.

M. DC. XIIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.







Rité quidem referunt animum tua scripta, tabella
Effigiem, mores actaq; vita tuos.
At melius, mores dum in regia pectora fundis,
Te, FABER, Augustis exprimis ipse animis.



CHRISTIANISSIMO REGI LVDOVICO XIII.



AGNORVM & præstantium Regum perpetua ferè sors fuit (Rex Christianiss.) vt à præceptoribus doctrina & moribus præcellentibus viris fuerint instituti; adeò dictum illud vetus experientia verum dignoscitur, *Sapere reges sapientum commercio.* Id verò si præclarè quibusdam olim cessit, habes etiam (Rex optime) quod hac in parte de Nicolao Fabro glorieris, viro pietate, moribus, ac doctrina me-

lioribus nostra patrumque memoria conferendo, & verè dignissimo qui omnibus sæculis perenni laude celebretur. Sed magnis eius virtutibus accedebat ea singularis & incredibilis modestia, vt ab omni gloria alienus, sua ipse contentus virtute, quod piè agebat aut eruditè meditabatur notum vellet esse nemini, sibi satis esse existimans si prodesset, si Deum, cuius gloriam quacumque ratione poterat promouebat, rectè facti auctorem & testem haberet. Satis hæc quidē sibi pio & Christiano homini, sed quando hæc tua etiam laus est, tibi, Galliæ, litteris, non satis. Interest quippe Reip. clarorum virorum nomina & virtutes recenseri, ac si quæ ingenij & doctrinæ monumenta conscripserint, ea sarta tecta ad posteros sine vlla deductione transferri. Hæc ego cum magni illius viri mihi coniunctissimi memoriæ, publicæque rei deberem, vtrūque esse pro viribus præstiti, & qua potui grati animi contentione debitum

munus ac officium exsolui. Vnicè certè dolendum est, virum illum eximium, ex nimio illo gloriæ contemptu, plura litteris consignata non reliquisse; sed vt posteritati testatum sit, quid in omni eruditionis genere posset, sparsa hæc pauca & dissipata quo potui studio collegi, & in vnam velut fascem conieci, quæ tibi, vt sub Augustissimi tui nominis auspiciis lucem aspiciant, restituo. Hæc in tuo fundo nata, sub tuo ære merita, ac à viro optimo tibique deuinctissimo scripta, qui cum aliàs se ætate confectum perpetuò de discessu cogitare, & alteram ac meliorem vitam seriò meditari & expetere dictitaret, tibi vni viuere, tuique gratia suũ illud desiderium paulisper sustinere, dum fœlix arbos ad amœni scientiarum fluminis ripam succresceres, mihi non semel est fassus. Accedit vitæ sanctissimè transactæ narratio, Regiarum virtutum exemplar & speculum vel potius claris-

ſimum lumen,quod vir optimus tibi de diuino accendit lumine, vt nihilominus quum tibi accenderit,alijs etiam per Maieſtatis tuę fulgorem quam plurimis prę-luceat.



NICOLAI FABRI V. C. VITA.

AD HENRICVM BORBONIVM CONDÆVM PRIMVM GALLIÆ PRINCIPEM.

Scriptore FR. BALBO in curia Monetarum Galliæ Aduocato Regio.



Agnopere iuuat (ILLVSTRISSIME PRINCEPS) *eorum vitam & mores mandare memoriæ, in quibus singularis virtus emicuit, non tantum vt merita à posteris quos sibi deuinxere gloria rependatur, sed vt ad eorum vitam & res præclarè gestas, tanquam ad virtutis effigiem, mores vnusquisque suos instituat. Pungit nimirum magis & afficit rei ab alio gestæ specimen & exemplum, decursi iam itineris confidentiam addit, ac, vt verbo dicam, omnis per exempla quàm per præcepta rectè agendi compendiosior via est. Quem verò ex nostro & longè ante æuo cum magno illo præceptore tuo Nic. Fabro conferre possim, dum omnes memoria repeto, alius planè non succurrit, qui quantum*

sibi, quo fuit pudore & modestia, debitæ laudis & gloriæ detrahere nisus est, hoc ipso dignior eius vita quæ sempiternæ hominum memoriæ commendetur. Eum ego præter adfinitatis quæ nobiscum intercedebat necessitudinem, velut alterum parentem obseruaui, colui, veneratus sum, ab eiusque latere numquam nisi doctior aut melior recessi. Quibus meritis cum parem gratiam referre non possim, æquum saltem fuit vt grati erga ipsum animi mei qualecumque extet monumentum. Hoc verò tibi, Princeps Illustrissime, nuncupandum esse duxi, historiam scilicet vitæ integerrimæ, vel potius omnium virtutum ad viuum expressam imaginem, vt, qui tanto viro per complures annos præceptore vsus, illum ex sua formula vixisse nosti, hoc ipsum illi quasi reponas, ac per nominis tui sparsum latissimè splendorem, omnes intelligant etiam hoc sæculo vixisse quem iure olim ætas ventura mirabitur.

FAbrorum nomen apud nos clarum iampridem per multiplices familiarum propagines enituit. Quid illæ ad hunc nostrum attineant, frustra explicem, scripturus vitam hominis minimè omnium vani & ambitiosi. Ordiar igitur à proximis parentibus. Vincentius Faber vir probus & diues in vico Lineriensi ad Lethericimontem nobile Parisiensis præfecturæ municipium natus, à prima pueritia pietatis studijs deditus, statim vbi adolescentiam in-

gressus est, in terram sanctam religionis ergò peregrinationem suscepit, idque libro precum diurnarum manu sua exaratum, quem itineris comitem secum tulerat, testatum reliquit. Quam vitæ & pietatis rationem postea ferè tenuisse patet ex proprij sigilli nota, & è multis ab ipso cùm in villis, tùm in hac vrbe Lutetia structis ædificijs, signo crucis Hierosolymitanæ pro foribus insignitis; instructo item apud eundem Linerienſem pagum ptochotrophio, in quo certo numero pauperes relictis ab eo reditibus alerētur. Natale solum Vincentius incoluit ad annum CIↃ IↃ XLII cum Catharina Arnolda prima vxore, ex qua XVI liberos sustulerat. qua vita functa, cum Ioannam Hacam lectissimam viduam ex honesta familia Lutetiæ secundis votis vxorem duxisset, ibidem ferè imposterum ætatem degere sedemq; figere constituit. Ex altero illo matrimonio natus Nicolaus VI Non. Quint. anno CIↃ IↃ XLIV quo Carolus V. Imp. armata manu Gallias inuasit, vt habet idem Vincētij codex, fidéque faciunt à Nicolao scripti versus IV eid. Iul. anno CIↃ IↃ XCIII, quo die ait se L annum vitæ ingressum. Huic alter frater Ægidius natu maior ex eadem matre: ambo simul liberaliter educati, dederunt operam humanioribus disciplinis Lutetiæ in Marchiana scola, vbi casu inopinato res incidit, quæ Nicolaum in adolescentiæ limine pœnè suis eripuit. Nam dum calami stylum fortè hebetiorem cultello castigat, aduolante in oculum præsegmine, illico præ

dolore dextram manum qua cultellum tenebat oculo apprimit, ſimul & ferrum, eoque dexter oculus confoditur atque ita excutitur, vt quidquid eſt humoris in oculo in fratris qui propè adſtabat veſtem efflueret, inde non ſolùm oculo orbatus, ſed graui & diutino morbo non ſine vitæ diſcrimine conflictatus, corpore impoſterum debiliore fuit, viſu tamen acri & firmo, vſus alterius oculi collectiore ac per hoc fortiore contuitu, vt non inconcinnè de eo illud Senecæ vſurpari potuerit. Si quis oculum caſus excuſſerit ſapienti, reliquiæ illi ſuæ ſatisfacient, & erit diminuto corpore tam lætus quam integro fuit. *Luſit & in illud V.C. Antonius Oiſelius carmine: & ipſemet Faber verſibus quos in effigiem ſuam ſcripſit, caſum hunc ſuum teſtatus eſt, quo non ſolũ non infractus ſed eo acriore ſtudio ad litteras incenſus eſt eius animus, quibus ſe deinceps totum indefeſſo labore noctes & dies mancipauit. Elato paulo poſt patre, curam educationis ſuſcipit mater ſpectatæ virtutis matrona, quæ, vt erat liberali & honeſto loco nata, nil eorum ſtudiorum quibus ingenui adoleſcentes erudiri ſolent prætermiſit: ac primum vt iuri ciuili operam darent ambos fratres miſit Tholoſam, dein Patauium ac Muſis amicam Bononiam: inde ne quid ingenuæ educationi deeſſet, vlterius progreſſus Nicolaus totam ferè perluſtrauit Italiam, circa annum* CIↃ IↃ LXXI, *ac Romæ per* XVIII *menſes commoratus eſt. Et cum in ea vix quiſquam veſtigium po-*

nere posit quin monumentum aliquod premat antiquitatis venerandæ, plurima in ea peregrinatione vidit, collegit, notauit, quæ illi ad eius studia magno postea fuere vsui: didicit verò multa ex familiaritate præsertim virorum doctrina præstantium qui tempestate illa passim in Italia florebant, cum quibus omnibus, imprimisque Carolo Sigonio, ac M. Antonio Mureto, summa illi erat consuetudo, quorum ope & gratia huc etiam aliquam manuscr. librorum copiam aduexit, ac præcipuè Senecæ Philosophi, cui iam tum restituendo animum intendebat. Annos natus XXVIII *cum se in patriam & domum maternam recepisset, totum se pietatis ac Philosophiæ studijs dedit, quibus vt liberius & expeditiore animo vacaret, cœlibem vitam agere instituit: & amico cuidam ad nobilis puellæ nuptias ambiendas aliquando incitanti, respondit: vellem, inquit, apud me æquè firma ac rata sint omnia ac meum illud animi propositum & votum, quo semel statui me nusquam vxorem ducturum. Indeque sibi summam illam & inoffensam tota vita sua mentis tranquillitatem comparauit, dum vix adulta ætate quo se animus dirigat instituit, nec hærens & anxius quid agat, certum sibi iter quod metiatur, & metam qua conquiescat proponit. Tanta contentione Musis operatus, interea tamen à ciuilibus negotijs haud omnino abstinuit. Nam cum per aliquot annos in foro versatus esset, anno* CIↃ IↃ LXXII *vt matrimo-*

rem gereret vir amplissimo magistratu dignissimus in numerum Consiliariorum Regiorum qui aquis & syluis in Gallia præsunt, allectus est: eoque nomine non semel in prouincias missus est vt in delicta quæ suæ notionis erant animaduerteret, ac siluarum regiarum venditionibus & auctionibus præesset, quo munere strenuè & integrè defunctus est. Placide cum matre dulcissima vixit ad annum CIƆ IƆ LXXI quo peste apud Lutetiam grassante, contagione illa mater correpta est, quam, nihil præsenti vitæ discrimine deterritus, licet plerique domestici aufugissent, nunquam ille deseruit, sed ægrotanti assidue ministrans ad extremum adstitit, nullo pietatis officio prætermisso, donec in monumentum in quo postea ipsemet sepultus est, honorificè conderetur. Sub id tempus Ægidium quoque fratrem cum extulisset, magistratu se abdicauit & luctuosæ solitudinis suæ tædia, litterarum & Christianæ pietatis quam vnicè colebat solatio, leuare constituit. Itaque arctissimam cum magno illo P. Pithæo vitæ societatem inijt, ab oq; peramanter exceptus, gemini dein Musarum ocelli quasi fratres sub eodem tecto complures annos transegerunt. Hoc in otio bibliothecam editis & manuscriptis codicibus instructissimam sibi parauit, ac pleraque omnia veterum scripta incredibili diligentia & labore cõtulit, notauit, recensuit. Sed tunc temporis præcipua in Senecas cura, quos anno CIƆ IƆ LXXXVII primùm edidit, eisque præfationes, & Senecæ Rhetori

notas adtexuit eruditiſsimas: quod præclarum benè collocatæ in ſtudijs operæ ſpecimen, quamuis potuiſſet illi non infœlix eſſe apud exteros famæ ſurgentis initium, eo tamen fuit pudore & modeſtia, vt nomen ſuum minimè adſcrìpſerit, & ne adſcriberetur non ſolum in hac prima ſed & in omnibus quæ non eo inſcio poſtea prodierunt editionibus ſedulò curauerit. Sed ecce cæcus apud nos fanaticæ plebis inceſsit furor, quo nuſquam tutus locus & bonis & pijs rectè ſentientibus, vbi præſertim facinoroſis ex infima plebis fæce hominibus præcipua eſſet auctoritas: quia tamen obortæ tempeſtatis tempore Lutetiæ intercipitur, Athenas à ſexdecim tyrannis inſeſſas noſter Socrates haud deſerit, librorum quos impensè collegerat ſacra ſuppellectile, ne illam prophanæ manus violarent ac diriperent, & Pithei ſui, Varij, Hollerij ac quorundam amicorum conſuetudine allectus & detentus, dum tempora deſæuirent. De quo rerum ſtatu & perturbatione quid vir ille patriæ amantiſsimus ſentiret, liquet ex eius ſcriptis ab eo olim & nunc primùm à nobis editis, ac ijs verſibus quos de decreto Senatus pro lege Salica tunc ſcripſit, cuius conficiendi boni illi viri authores & impulſores viro ampliſſ. Ioanni Magiſtro, qui tunc præſidis loco Lutetiæ ſedebat, fuerunt. Vt & qua moderatione animi miſeram illorum temporum conditionem ſapiens & quietus animus tulerit, ex ea quam ad me vix dum adoleſcentem tunc temporis ſcripſit epiſtola, quam ſic

concludit. Sed hæc θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. *Nos interim* θεοῖς ἕπεσθαι *diſcamus,* καὶ θέλειν τὰ γινόμενα γίνεσθαι ὡς γίνεται. *Et quamquam parum iuuaret, vt eadem epiſtola fatetur, in tanta omnium rerum confuſione ac publica calamitate, aliquid animoſe in ſtudijs adgredi, vir tamen bono publico natus, ne tum quidem prodeſſe deſtitit, Muſaſque ex Gallia profugas, apud exteras nationes, qua ope & induſtria poteſt, excitat: ac pro more, eruditos qui librorum editiones parabant non ſolum manuſcriptis vltro, ſed etiam obſeruationibus tranſmiſsis, iuuat: Baronium præſertim qui per id tempus Annales primùm moliebatur, ad quem, frequentes inter ad eum miſſas litteras, elegans extat de myrrhata potione diſputatio, cuius partem aliquam ſecundæ Annalium editioni inſeruit. Interim magni illi viri vt per ciuilia diſsidia tempus fallerent, ne ingentibus ingenijs quid deeſſet, operam dederunt Mathematicis diſciplinis. In quibus excolendis ea Faber animi acie fuit, vt doctiſsimi Scaligeri ingenioſum de circuli dimentione conatum, (cum eius demonſtrationem coram Iac. Aug. Thuano. Guil, Vario, Petro Pithæo, Ant. Oiſelio in ipſis Thuani ædibus Monantholius faceret, & finem ſuum fœliciter aſſecutum Scaligerum contenderet,) errore non carere primus animaduerterit, quod & ingenue poſtea Scaliger ipſe quo, erat candore, agnouit. Detumeſcentibus paulatim odijs ſimul vbi primum Henrici Magni virtute rerum meliorum ſpes*

cœpit

cœpit affulgere, optimus ille communis patriæ parens & publicæ quietis vindex, ne res vt olim in incerto vacillarent, de successore cogitat. Proximus tunc huic Henricus Borbonius Princeps Condæus, ad quem, velut ad indulta post tot ac tantas clades solatia, ex ingenito Gallis erga stirpem regiam amore, omnes omnium oculi conuertũtur. Illum ergò Rex sapientissimus, puerum iuuẽtutis principem ex Ioannis Engeriaci fano vbi educabatur ad se in aulam aduocat, & vt erat sagaci iuxta ac perspicaci ingenio, rectorem & formatorem asciscit Ioan. Viuonium Pisanium fortissimum ac prudentissimum regiæ vtriusque militiæ equitem, prisca generis nobilitate, militari virtute, morum grauitate, totiusque vitæ splendore conspicuum, & qui varijs grauissimisque legationibus apud exteros principes summa cum laude & gloria perfunctus, magnum prudentiæ ac moderationis suæ experimentum fecerat. Pisanio tanti principis pueritiæ moderandæ cura commissa, ab eodem sapientissimo rege delectus Faber qui teneram hanc ætatem religionis & doctrinæ præceptis informaret: verum alijs huc vsque moribus & studijs assuetus, &, quod caput est, omnis ambitionis expers, vix primo persuaderi potuit vt munus illud susciperet. Datum negotium Achilli Harlæo, & Iac. Aug. Thuano supremi Senatus præsidibus, quibuscum summa illi intercedebat consuetudo, qui, vt omnia in Henrico sine exemplo magna, ita hoc singulare regis

iudicium & votum efferunt, temporis conditionem & regni statum videat, pro virili parte succurrat, monent, hortanturque se pro rege, pro optimæ indolis principe, pro communi omnium salute deuoueat, eique tandem vt se his rationibus vinci pateretur persuadent. Abs suis ergo libris, amicis, & verò Pitheo suo qui cum multos annos coniunctissimè vixerat, diuellitur anno CIↃIↃ XCVI, *& apud Sangermanam arcem in qua tunc regij sanguinis primarius princeps educabatur, proficiscitur: benignè ab eo, ab illustrissima principis matre, à Pisanio ipso & omnibus exceptus & habitus, qui virum hunc pium, doctissimum, modestissimum, nil præter munus suum anxiè anquirentem, ac virtutibus omnibus cumulatissimum colunt, venerantur. Anno vertente Pitheus Augustobonam Tricassium, vnde erat oriundus, ob sæuientem Lutetiæ pestem rebus prolatis, secesserat: & vt nunquam à publico & litterario bono animum remittebat, editionem accurabat fragmentorum D. Hilarij Pictauiensis Episcopi, quæ rerum in Concilio Ariminensi gestarum seriem nouo nec antea rectè satis intellecto ordine continerent. Sed magnus ille vir in medio hoc conatu acerba morte intercipitur, ex qua vix dici potest quantum mœroris Faber contraxerit, vt etiamnum apud me extet epistola, qua se mea & amicorum consolatione in graui hoc casu egere fateatur. Vir porrò ille optimus etiam in morte de litteris*

ſolicitus, ſuo elegio inchoati operis abſolutionem Fabri ſui fidei commiſerat, qui vt pij amici ſupremæ voluntati morem gereret, licet principis educationi & Spartæ ſuæ adornandæ aſsiduè incumberet, incœptam editionem ad exitum perduxit, & inſuper doctam & elegantem præfationem, Iacobo Auguſto Thuano, ſicuti à Pitheo rogatus fuerat, inſcriptam, addidit, quæ doctiſsimum Baronium in magnas ac perplexas difficultates poſtea induit, vt multa ex præcedentibus inuertere, mutare, corrigere in ſequenti Annalium editione, rei veritate & blanda modeſtiſsimi amici admonitione vrgente, ſit coactus. In illa verò præfatione adſuenda cum dies Paſchæ anni à Christo CCC LIX, *diuique Ambroſij epiſtola ad Epiſcopos per Æmiliam cum remoraretur, ad me ſcripſit vt calculum ſubducerem, quod ſedulò feci, & notas ad illam epiſtolam addidi cum præfatione ſimul editas. Qua interim diligentia, quaque induſtria & ſtudio in curam ſibi commiſſam incumberet, tute ſcis (Princeps Illuſtriſsime) tuumque eſt prædicare vt facis. Ego certè qui Fabro tibi prælegenti ſæpius aſtiti, & cum morbo præpeditis abeſſet eius vices, licet impar, aliquoties ſuppleui, teſtari poſſum qua alacritate ac fœlicitate ingenij in literas incumberes, quanta dexteritate ac iudicio ætati præuerteres, quam tenaci memoria quæ ſemel audiueras retineres, & omnium gentium hiſtorias per*

temporum seriem, autorum ac librorum argumenta, ac præcipuas sententias summa animi contentione recitares, vt ne plus ille in docendo quam tu in discendo laudis & gloriæ reportaret, vterque certasse videretur. Anno interim CIↃ IↃC institută regis iussu apud Blaudi fontem celeberrima collatione, qua liber Philippi Mornæi equitis de institutione Eucharistiæ discuteretur, inter VI viros ad id delegatus est Faber, cui tamen disceptationi ad diem constitutum ob valetudinem aduersam interesse non potuit. Condæo porrò iam adulto & omni eruditione exculto, Faber aulicæ vitæ pertæsus, studijsque ac vigilijs fractus senex receptui canere instituit: hoc vnum habens in votis vt animo soluto ac libero, inter blanda Musarum otia purè pieque Deum coleret, cœlestia meditaretur, ac, vt sæpe ipse vsurpabat, futuræ vitæ viaticum quæreret. Vix à Rege, sed ægerrimè à principe, qui eum sæpius domus suæ tutelarem Genium indigitabat, missione impetrata, quò se conferret aliquantulum dubius & anceps fuit, & cum omnem rei familiaris curam, vt se indignam, à se abijcere firmum & ratum in animo haberet, beneuolentiæ & humanitatis memor qua à Pitheo suo & tota eius familia fuerat acceptus, se Catharinæ Paludellæ honestissimæ Pithæi viduæ curæ & hospitio commisit, in cuius domo & familia humanissimè exceptus sanctissimam & quæ posteris sit exemplo vitam per aliquot annos exegit, quam vbi ad maturam peruenerat ætatẽ, sic ineunte

tempore instituerat. Media & concubia nocte, accenso cereo, per duas horas orationi & piæ lectioni vacabat, parato per hiemem cucullo canonicorum more, quo, perinde vt illi, caput obuoluebat: tum leui repetito somno, surgebat æstate ad primam auroram, hieme sub Gallicinium circa quintam & sextam horam. Musæum ingressus, genibus prostratus orationes & preces ad horam ferè protrahebat, tum studijs & libris intentus, vbi primum in sacra æde vicina celebrandum Missæ sacrificium denunciabatur, eo ferebatur cœlo quantumuis infesto & sæuo: hinc domum se referebat, ac solidũ diem pijs operibus, studijs litterarum, visendis amicis, & priuatis ac publicis, pro diuersa temporum ratione, officijs impẽdebat: pietati & sanctimoniæ adeò addictus, vt nullum tempus rectè collocari existimaret, nisi quod cultui diuino impenderetur: nullam pecuniam rectè expendi, nisi quæ pijs erogationibus absumeretur. Ieiunia ab Ecclesia indicta diligentissimè seruabat, vt erat cibi & potus parcissimus: singulis Dominicis & aliis præcipuis festis diebus se ad sacram mensam parabat, & licet in quibusdam cœnobijs id aliquando perageret, adeò tamen erat Ecclesiasticæ disciplinæ rigidus obseruator, vt ijs diebus solemni parœciæ sacrificio si liceret interesset, aut certe suum ad altare munus offerendum mitteret. In templo orationi perpetuò intentus, & genibus flexis. Si quem in religione errantem agnosceret, nil habebat antiquius quam vt eum doce-

ret & erroris admoneret. Id in ea esse optimum quod antiquissimum ratus, nec fas vlli de sua fide mentiri, nil in ea dissimulandum, nil ἀδιάφορον, sed vitandas inanes & curiosas quæstiunculas, & religionem moderata ratione suadendam potius quam ferro & armis imperandam, aut denique quæsitis mendacijs astruendam: eius verò rectam instructionem non aliundè petendam esse, quam ex assidua sacrorum librorum lectione, & antiquis patribus fidis & vnicis eorum interpretibus, tanquam ex viuo & iugi fonte, quos, vt erat melioris antiquitatis diligens scrutator & adsertor, summoperè venerabatur: maximè D. Augustinum, cuius lectioni assiduè inhærebat, vt ex recentioribus diuum Bernardum nostratem, quem vltimum Patrum nominabat. Minime interim ijs assensum præbens, qui, quouis prætextu, auctoritatem Ecclesiasticam & Regiam inuadere aut conuellere niterentur: quæ omnia ex opusculis quæ nunc emittimus perspicua fient. Ea porrò erat in egenos caritate, vt certam eamque maximam stipendiorum quæ ipsi quotannis ab rege tribuebantur, imò & redituum annuorum portionem duodecim pijs huiusce vrbis locis, alijsque priuatim indigentibus singulis mensibus distribueret, pauperibus quibuscumque obuijs stipem erogaret, & quod certè eximium est, morbo aut aliqua sortis acerbitate oppressos, vndique conquireret vt eos pia vereque Christiana benignitate & caritate sustentaret:

adhibita cautione ne à quo beneficium acciperent, perinde acsi furtum commisisset, vulgaretur; idque tanta festinatione ac calore, vt nimis sanctè pius quod ait ille, quo sequentis trimestris stipendium & annonam expectaret plerumque non haberet, nisi amici succurrerent & ab eis mutuum acciperet, quod tamen prima quaq; occasione dissoluebat. Et quoniam perpetua sua præda hæc erat ac propria quasi venatio, vt de egenis bene mereretur: non satis esse existimabat ea quæ ad corporis valetudinem conferebant curare, ni quæ ad animæ salutem & cultum in in Deum necessaria essent administrarentur: cumque nonnihil earum desiderari in magno & instructissimo alioqui huius vrbis Nosocomio cognouisset, anno CIↃIↃCX *firma & solemni inter viuos donatione, quingentas ex annuis reditibus libras, delectis sacerdotibus, singulis annis à sacræ domus curatoribus distribuendas, reliquit, qui assiduè ægrotis adsidẽtes ad Dei cultum, patientiam, veramque pietatem eos hortarentur, antequam cibum sumerent mensis benedicerent, agerentque cibo sumpto gratias, singulis Dominicis diebus concionarentur, & dum mortui nocte, vt moris est, efferentur, ipsi funus sequerentur iustaque facerent. Secundùm religionem, morum in eo præcipua cura erat, qualeis vera & solida cui toto vitæ cursu seriò operam dederat in nobis informat Philosophia, cuius non auditor sed factor, quamq; factis quàm verbis exercere mallet: ea demũ constantia*

& pertinacia, vt animum in poteſtate habens, ſibi quam ſemel legem dixerat vbique ſeruaret, non altitudine fortunæ & dignitatis elatus, non caſu depreſſus, ſed quaſi cum virtute ſponſione facta, noxa ſolutus, omni ex parte ſecum ipſe conſentiret, nec vnquam à vera ſinceraque ratione deflecteret. Prudens in eo ſimplicitas, vera religio, conſulta innocentia, innoxia libertas, ſumma caſtitas, incredibilis bonitas, & ſingularis in omni vitæ actione moderatio. Amicis gratus & beneficus, domi temperans & ſobrius vt qui omnes voluptates fugeret, verus & apertus ac nullius rei diſſimulator, ſed ea ſuauitate, candore & verecundia, vt cum in vnoquoque virtutum genere paucos pares habuerit, eum ſola modeſtia ſuper omnes extulerit. Seruis vt amicis ſumma humanitate vſus, amicis vt dominis, à quibus ſi aliquando grauius acciperetur, benignè interpretando rem eleuabat, & cum alijs ſemper parceret, ſibi vix ignoſcebat. Mitto quam excelſo & erecto aduerſus diuitias, & ab omni repulſa auaritiæque labe alieno animo, magnus ille Senecæ amator & ſcriptorum eius admirator eſſet, qui tamen ſi cum illo contendatur, multis partibus, eaque ipſa qua minor erat, ſuperior reperietur. Facile fuit Senecæ, dum ingentes diuitiarum aceruos & latos campos ſub ſuo cenſu & ditione tenet, rerum & opum contemptum verbis præ ſe ferre. Hoc, mi Lucili, egregium, hoc ſecurum & liberum nihil petere, & tota fortunæ comitia tranſire.

Cum

Cum noster Faber iisdem quibus ille sacris operatus, ex aula regum & procerum, post multos annos, solius virtutis, nedum gloriæ pretio contentus, discesserit. His ergo virtutibus instructus, ad annum CIƆ IƆCX *in Pitheana domo vitam hanc transegit innocentissimam: ac tranquillam sanè si quietum Philosophiæque præceptis, ac longo vsu & experientia obfirmatum animum spectes: si funestos rerum quæ postea inciderunt euentus, ærumnarum non prorsus expertem: dum singulari in principem quem educauerat amore perseuerat, eoque nomine in suspicionem eius venit, quem fideli semper obsequio vir inconcussæ probitatis coluerat, eumdemque cultum morigero hac in re alumno, à primulis annis insinuauerat. Interea, heu sæculi infamiam, Sol ille Galliarum patriæ parens Henricus Magnus, scelesta perditissimi & Tartarei parricidæ manu, cadit: Post tantam consternationem erectis paulùm animis, singulari Patrum Consc. & principum ac procerum regni prudentia, concordibus suffragiis Augustæ matri Ludouici* XIII *Regis impuberis tutela & regni procuratio decernitur. Atque ita sedatis quodammodo rebus & alto quasi hoc otio, ego qui ex quotidiano congressu exquisitam in Fabro Ecclesiasticæ historiæ notitiam toties mirabar, ne hæc interciderent, suaseram, vt quod in ea doctrinæ reconditioris obseruasset, scriptis mandaret, meam opellam, si qua iuuare possem, pollicitus: Et iam, me ad excipiendum parato, manum*

huic operi admouebat, cum ecce virtutis fama celebris omnium votis diu expetitus, sagaci reginæ matris iudicio eligitur qui spei regis admoueretur, & erudiendæ eius pueritiæ præesset. Laudant consilium reginæ proceres, omnesque in eum conuertunt oculos, amici monent, hortantur, vrgent. Ille oblatum munus recusat, obstitit, reluctatur: exhaustos labores sibi iure promeruisse munerum vacationem: memoria, viribus, valetudine, iam deficere fractum senem ac tremulum, nec desultoriæ huic aulicæ vitæ superesse posse contendit: quod superat ætatis Deo, pietatis officijs, conuasatis rebus, vitæ melioris parando viatico deuouisse, &, quod innata sibi ac propria modestia maximè vrgebat, se doctrina, ingenio, viribus imparem huic muneri. Contra pollicetur regina se curaturam ne quid incommodi patiatur & ætati eius debili succurratur, in ipso multa simul concurrere quæ vix in alijs singula reperiantur. Instant insuper amici, magnates quibus hæc demandata cura, priscæ & antiquæ virtutis meminerit, & se non sibi sed regi ac patriæ, quam hoc beneficio totam deuinctam teneat, natum recordetur: ad summum nil ei posse gloriosius contingere quam si vel in ipso præclaro munere & conatu mortem oppetat, Fortè tunc Princeps Condæus Burdigalam diuerterat ad lustrandam cui præest amplissimam regni prouinciam, hunc litteris Faber rei certiorem facit, atque obsecrat vt se apud

reginam excuſet: ſed regis & patriæ amantiſſimus princeps, vltrò Fabrum ſuum increpat & adhortatur, ſeque ſi adfuiſſet hoc in conſilium tam laudabile conſenſurum fuiſſe oſtendit. Victus his monitis & adhortationibus, poſthabita valetudinis infirmæ cura, præclarum hoc munus adoritur, ac Regem Chriſtianiſſimum per ſexdecim menſes Faber qua pollet pietate, doctrina, & bonis moribus informat, fidele obſequium, promptam voluntatem, aſſiduam operam præſtat. Rex item illius veneratur conſilia, vitam & mores miratur, ſuſpicit & amplectitur doctrinam, hic ea comitate & ſuauitate, ille tanto animi obſequentiſſimi pudore ac reuerentia, vt, ſicut in aula paſſim iactabatur, vtrumque dixiſſes inuicem de humanitate & verecundia decertare. Sed, ô inuiſa ſemper Galliæ fata, dum in ſanctiore ſeceſſu cum rege lectioni vacat, in ipſo opere tam præclaro & vitæ actione præſtantiſſima letali febre corripitur, qua in dies ingraueſcente, pios ac religioſos viros accerſiri iubet, imprimiſque Ioan. Gulonium Foliacenſis monaſterij præpoſitum, qui ei aſſiduè ad extremum vitæ ſpiritum interfuit: teſtamentum deinde ſumma mentis tranquillitate condit, quo, quædam de fide ac ſumma Dei miſericordia piè & eruditè præfatus, vt corpus in DD. Innocentium cœmeterium ad maternæ gentis

ſepulchrum, nulla aut tenuiſsima pompa, efferatur, iubet. tum quibuſdam rebus pijs locis, amicis, ac domeſticis legatis: Iac. Aug. Thuano ampliſsimo Senatus præſidi omnes manuſcriptos codices, mihi verò, paucis exceptis, cæteros bibliothecæ libros ſuprema voluntate reliquit, municipali legi patrimonij cæterorumque bonorum ius arbitriumque permittens: hoc inſuper addito, vt titulus, quem ſummæ humilitatis Chriſtianæ teſtē ſua manu ſcripſerat, lapidi marmoreo abſq; alio ornamēto ſepulchro inſculperetur, eiuſq; rei curam Ioanni Burlonio, quem dilectiſsimum cognatum ſupremæ ſuæ voluntatis curatorem inſtituerat, commiſit: amicos obteſtatus ſi quid in eo vanum aut ambitioſius ſcriptum notaretur, tanta erat animi demiſsione ac modeſtia, id vt expungerent. His ita confectis & fidei Notariorum concreditis, relicta omni ſæculi ac rerum mortalium cura, protinus ad mortem ſe accingit. Vir dudum morti aſſuetus, vt qui ſe multò ante comparaſſet, ac tota vita mori didicerat, mirum qua facilitate animi & conſtantia dolores ferret, quo vultu vnumquemque conſolaretur. Per ſeptemdecim dies quibus decubuit aſsiduè orationi vacat, à ſacris litteris ſolatium petit, & ſententias quas in hunc vſum ſibi ſelegerat vel memoria recitat, vel alijs legentibus interpretatur & exponit, parato etiam ad eam rem ſibi vncialibus ac maiuſculis litteris ſcripto Pſalterio, itemque bibliorum codice Lugduni apud Gryphium edito. Quoties quid de

debita in Deum veneratione, aut Dei in homines immensis beneficijs profert aut ei recitatur, ingemiſcit, pungitur, & ſubinde ſingultus emittit teſtes mentis incluſam animo pœnitentiam ac dulcedinem continens. Domeſtici humi proſtrati benedictionem abeo vt à domino petunt, quam, recepto more, illius benedictionem appellant, renuit & obiurgat: Heu, amici, nulla apud me nec mea eſt, ſed benedictionem ſuam vobis Deus impertiat, & vobiſcum perpetuò maneat. In extremis conſtitutus, cum iam in præcordijs hærentem mortem ſentiret, vt ſacrum Domini corpus allatum vidit, moribundus membris aſſurrexit, vixque contineri potuit quin è lecto deſcenderet: & vt ſcias virtuti etiam eſſe, vt ait ille, in lectulo ac pene moriendi momento locum, presbyterum ſacrum oleum miniſtrantem comiter increpat, & vt paulò conſideratius & prolixius pronuntiaret rogat: oculis ferè perpetuò vel in cœlum, vel in Chriſti crucifixi adpoſitam iuxta lectum imaginem conuerſis. Extremam hanc pugnam ſtrenuè fortiſſimo hoc athleta decertante, adſtant vndique pij, amici, magnates regis reginæq; iuſſu miſsi: Adfuit ipſemet princeps Condæus amantiſsimus alumnus, quem Faber ad pietatem in Deum, obſequium in Regem, patriæ amorem, publicæ rei curam, decus principali familia dignum, & virtutem, his pridem hortamentis aſſuetum, qua poteſt voce monet, incendit, hortatur, ſeque & ſuos commendat. Princeps effuſis lachrymis, heu! inquit,

ſubita mors patruum cariſsimum nuper nobis præripuit, & ecce amantiſsimum præceptorem amittimus. Næille, poſſum hoc ego affirmare fidelis ac perpetuus conſiliorum eius & actionum teſtis, dignus eſt, qui in numerum Sanctorum referatur, proinde curandum vt eius corpus & oſſa aſſeruentur. Tandem morbo recrudeſcente ac viribus paulatim deficientibus, ſed integro, vt ſæpe optauerat, animo, & adhuc ſecum cœleſtia ſpirante ac meditante, anno Chriſti CIↃ IↃC XII *ætatis* LXIX *ſub horam decimam veſpertinam prid. Non. Nouemb. maiori Regis, Galliæ & litterarum damno quam ſuo, cum veluti in blandiſsimum ſoporem incidiſset, nobis adſtantibus, placidam & fœlicem animam Deo reddidit: ſtupendo prius & inſolito ex ſiniſtri oculi acie in adſtantes fulgore emiſſo, qui nos omnes in admirationem rapuit. In quibus poſtremis recenſendis aliqua vel fortè quorumdam iudicio negligenda omittere noluimus, ne & ijs qui ante hæc quibus adfuimus dixere fidē derogaremus, & vt ſciant pijs & maximis viris ſuſpiciendos & inſuetos exitus plerumque eſſe. Sic vixit, ſic deuixit, ac ſic, vt teſtamento iuſſerat, poſtero die effertur, honeſtiſsima magis amicorum & aulicorum concurſu quam ſuperba pompa, vir ille piorum doctiſsimus & doctorum pijſsimus, cuius æternam memoriam excipient omnes anni conſequentes. Statura fuit mediocri, corpore vegeto robuſtoque ac laboris omnis inediæ præſertim & frigoris patienti, ſed ex aſsiduis*

vigilijs & ieiunijs gracili ac macilento, & sub ingrauescentem ætatem fracto debilitatoque: venusta & augusta facie nec oculi casu indecora, specie amabili & tranquilla, quam amicis efflagitantibus vix in tabella depingi sit passus. Fortuna & sorte vsus satis benigna & placida, magnis ingenijs vt plurimum iniqua & inuidente: hanc nactus mediocrem à parentibus, liberaliter educatus à pueritia, ac per omnem ætatem bonis honestè vsus & messe tenus propria viuens, eam, quantumuis illum publicè inuigilantem videas, nec sibi nec suis auxit. Ea porrò fuit animi benignitate & facilitate, vt, suo contentus, maximam Deo optimo diceret se inire gratiam, qui ei non ad vitam necessaria modò, sed quæ ad relaxationem animi honestasque delitias conferrent, sic enim librorum copiam appellabat, non denegasset. Nulla alia re insuper ex ijs quæ possidebat adeò delectabatur, quàm villa, quam in Lineriensi apud montem Letherici pago habebat amœnissima: in quam æstate pietatis & studiorum causa vt plurimum secedebat, & cui etiam, qua amplior fieret, accessionem ex agris proximis adiunxerat. Amicos habuit omnes pios & doctos, omnibus vicissim, & quis eum non coleret? amicus & gratus. Nulli infensus, neminē lacessiuit, à nemine scriptis lacessitus, summa ille semper vsus moderatione si quando orta esset de religione aut doctrina contentio, quo nomine à proceribus, aulicis, pijs, doctis omnibus

amatus & acceptissimus fuit. Inter amicos præcipue coluit. Iac. Aug. Thuanum amplissimum præsidem: tum Guilelmum Varium Senatus Aquensis principem, qui illi de Gallica eloquentia disertissimum opus inscripsit: sed omnium familiarissimum & vitæ consortem ac contubernalem Petrum Pithæum, qui illi dicauit libellum de Latinis interpretibus bibliorum, & Saluianum Massiliensem. Dies deficeret si omnes recenserem, sed quos litteræ conciliarunt hos habuit familiares & præcipuos: Baronium, Borromeum, & Perronium, pios & doctissimos Cardinales: Ex viris clariss. Cl. Puteanum eiusque filios, Paulum Petauium, Hollerium, Franciscum Pithæum Petri fratrem, Frontonem Ducæum, & Iac. Sirmundum qui illi Ennodij opera dedicauit: Ant. Oiselium, Isaacum Casaubonum, Nic. Rigaltium, Ianum Guillelmium qui eius nomine notas in Cistellariam Plauti emisit, vt & Ludouicus Cario librum secundum emendationum & obseruationum, & Fed. Morellus notas in Siluas Statij: & si ego in hoc albo & censu tantillus adscribi mereor, me cæterosque eius opera & ea quæ ijs præfiximus elogia demonstrabunt. Adeò tenaci & felici memoria fuit, vt licet nullum vnquam commentarium confecisset, si quid tamen in amicorum congressu & communibus colloquijs dicendum occurreret in quouis scientiarum genere, quarum nullam intactam reliquerat, vt quæque sese occasio subita offerebat, id illicò in numerato

merato habebat, & ex memoria, tanquā ex ſanctiore quodam penu expromebat. Cui accedebat acuti & perſpicacis ingenij ſumma vis, ſolers & peracre iudicium, ſincerum nec incautum in rebus agendis, in litteris autem ac ſcriptis aliorum dignoſcendis ſummum & excelſum, vixque vlli ex ſua patrumque memoria poſtponēdum. Quibus animi dotibus ad illud ſummæ eruditionis faſtigiū euectus eſt, vt ob multiplicem illius per omne genus authorum lectionem, & omnes quas non perfunctoriè ſed ſeriò amplexus erat ſcientias, ἔμψυχος βιβλιοθήκη dici meruerit. A prima ætate humanioribus litteris delectatus, has adeò parum remiſit, vt diceret hoc ſtudium vel ad ſenectutem ingraueſcere, cui toto vitæ curſu ea ſe animi contentione addixit, vt, vel ex libris in bibliotheca relictis clarum ſit, illum omnes antiquos vtriuſque linguæ ſcriptores ad vnum legiſſe, concoxiſſe, & ad vetera exemplaria contuliſſe: quorum lectione atque inſtrumentorum & actorum quæ ex bibliothecis antiquis, cimelijs regijs, vrbium, monaſteriorumque collegerat, mirum quam exactam melioris antiquitatis & Galliæ externæque hiſtoriæ notitiam ſibi comparauit. Inde per iuris prudentiæ ſcientiam, tum per omnes Philoſophiæ partes excurrerat: ſed eam præſertim quæ eſt de moribus, quam, vt ex Ariſtotelis ſententia rectiſſimè profiteretur, proprijs moribus exprimebat. Extrema demum ætate ſe totum ad ſacræ hiſtoriæ cognitionem contulit, eo candore & pie-

tatis ac veritatis studio, vt qui purè magis ac sincerè de ea, in his quibus versamur opinionum procellis, senserit, paucos pares, superiorem habuerit neminem. At homo modestissimus, alienæ potius quam suæ inseruiens gloriæ, si quem veterum auctorum recens aut iterum edi, vel quem in re aliqua tractanda operam dare audiebat, ijs vltrò vel ignotis manuscriptos codices quos habebat omnis notæ optimos offerebat & mittebat: si quid notasset, admonebat, interpretabatur, ea semper præfatione vsus, ne nominis sui mentionem facerent, vt rectè facti fecisse sola merces esset: cuius rei plura sint licet huic editioni adtexta testimonia, vnicum appellare possum locupletissimum testem Cardinalem Baronium, apud quem in Annalibus frequens fit illius & honorifica mentio. Hincque effectum vt vir laboriosissimus & peritissimus tam pauca scripserit & ediderit, quæ tamen quantumuis exilia, & reconditam ac multiplicem auctoris doctrinam, & emunctæ naris iudicium arguunt. Recens edimus disputationem quam mihi asseruandam dederat, Num grauioris mali vitandi causa leuius committi posit, cùm quòd elegantissimè scripta & doctè, vt cætera, tum quòd veram sinceræ eius mentis imaginem ad viuum resecat, ac puros integri & aperti illius animi adfectus, vt ex tabella oculis videndos, subijciat, vbi candor, vbi veritas, & non

nisi natiuus honesti color. Quosdam item versus, epistolas, σχεδιάσματα, & alia etiam Gallico sermone composita, sparsa & in puluerem situmque abiecta vndiquaque conquisita collegimus, quæ pietatis causa & omnibus opitulandi studio ab amicis rogatus scripserat, nullo plerumque apud se seruato exemplo, vel ita conturbato nec dum consummato, vt, cum sensum vix elicere possem, multa reiicere sim coactus. Non hæc, fateor, ab eo scripta ea mente vt lucem aspicerent: Sed, ô Manes estote boni, si singula vestra verba, singula puto oracula, quæ ab amicis amplissimis & eruditissimis viris non ita neglecta aut parui æstimata sunt, vt ea tradenda obliuioni viderentur, & quæ de locupletissimis thesauris prodire nemo non fateatur. E quibus prodijt & elegans, quod sibi sua manu scripsit, sepulchro insculpendum elogium: quod supremum pij & præclari ingenij monumentum hic subijci, non solum priuatorum ad rarum humilitatis exemplum, sed etiam publicæ rei interesse, ac dignissimum quod vitæ integerrimè actæ historiam claudat, existimauimus.

NICOLAVS FABER
PECCATOR NON VNVS EX MVLTIS
HIC IACEO.
QVID DE ME DICI VERIVS,
AVT A ME VTILIVS NON VIDEO.

AGNOSCO BONE IESV, TV IGNOSCE.
AD HOC ENIM NATVS ES, AD HOC PASSVS,
AD HOC PRO NOBIS TREMVISTI,
VT PER TE SECVRI ESSEMVS.

VIXIT ANN. LXVIII. M. IV. D. I.
DEVIXIT PR. N. NOV. AN. CIↃ IↃC XII.

R. I. P.

ELOGIA ET TESTIMONIA
doctorum virorum de Nic. Fabro.

Card. Baronius tom. 1. *ann. Christi* 34. *N.* 103. 107.

AD hæc insuper ob quæstionem nuper obortam nonnulla addere in hac editione compellimur. Vir enim cumprimis eruditus Nicolaus Faber Parisiensis clarissimus iurisconsultus, omni genere litterarum egregiè excultus familiaribus agens litteris, in eam sententiam cum pluribus nos potius abiisse, se optasse, de vino myrrhato declarat &c. Hactenus de his Faber qui Christiana modestia, magna animi demissione amico victoriam cedit qua iam prope potiturus videri possit, & c. inf. pag. 62.

Idem. tom. 3. *ann.* 313. *N.* 34.

Ad hunc ipsum (I. ad Tristanum Guillermierium) etiam datum iudicem legimus à Nic. Fabro IC. spectatæ virtutis & eruditionis viro, Pithæi conturbernali de nonnullis Ecclesiasticæ antiquitatis monumentis nondum in lucem editis, quorum cum participes erimus, quod speramus liberalitate optimi viri ea singula suis locis intexentur, digno inuentoris elogio.

Anno Christi 352. *N.* 12. 13. 14. 15. *&c.* Quoniam autem post secundam Romæ cusam Annalium editionem editus est Parisius liber sub titulo S. Hilarij de rebus gestis in concilio Ariminensi à doctissimo Nicolao Fabro, &c. Audi Fabrum de eodem libro vndi-

que decurtato quid scribat, dum in eumdem quam doctissimam præfationem præmisit, &c. Hæc ipse quidem & modestè admodum, cum nobis reliquit nodum soluendum, quem ipse, ex his quæ præmisit & aliis addendis, soluere facile potuisset.

Item ann.357. N.52. Qui autẽ scripserit hanc tertiam formulam Sirmianam hactenus incognitum fuit, patefactum autem vbi editus est à viro disertissimo nostroque amicissimo Fabro, liber fragmentorum de synodo Ariminensi, S. Hilarij Episcopi Pictauiensis titulo insignitus.

Anno.357. N. Eruta à Pithæo & nuper edita cum Hilarij fragmentis à viro insignis doctrinæ & integræ probitatis Nicolao Fabro epistola &c.

Idem tom. 4. ann. 383. N.

Missa sunt ista nobis haud pridem in lucem vendicata à clarissimo viro & eruditissimo Nic. Fabro I. C. Parisiensi, cui ex consuetudine litterarum intima amicitia coniungimur.

Item to. 10. ann. 866. N. 83. & ann. 867. N. 10.

Item to. 11. ann. 1001. N. 1. et ann. 1003. N. 3.

Et ann. 1070. N. 21. Hucvsque Lanfranci epistola ad Alexandrum Rom. Pontificem, quam accepi vna cum aliis ab amico coniunctissimo mihi Christiana caritate Nicolao Fabro Parisiensi, cui rerum antiquarum studiosi hoc etiam nomine bene precentur.

Monf. le Cardinal du Perron. lib. de la Conference. p. 11.

Sa Maiesté choisit pour les Catholiques &c. Et en troisiesme lieu le Sieur le Feure Precepteur de Monsieur le Prince de Condé, homme auquel l'excellence

de la doctrine, & la pureté & candeur des meurs reluisent egalement.

Monsieur le President du Vair liure de l'Eloquence Françoise qu'il luy dedie. epist. limi.

Puisque c'est la coustume de donner vne lettre d'adresse aux escrits que l'on publie, i'ay pensé vous deuoir prier par la presente d'inspirer vostre faueur à cettuy-cy. Car s'il a besoin de quelque recommandation enuers les gens de lettres, il ne la sçauroit emprunter de main plus fauorable que la vostre qui porte auec soy la grace de beaucoup d'erudition, & autant de candeur & ingenuité, &c. En fin c'est à vous à leur faire trouuer mes excuses valables. Car sont esté vos exhortations qui m'ont animé à ce labeur & vostre conseil qui m'a enhardy de le produire au iour, &c.

Iust. Lipsius cap. IX. *lib.* II. *Electorum.*

Votum meum non dissimulo, & vt ex tot huius æui Criticis manum aliquis & limam seriò Annæo Senecæ admoueat calidè iam diu opto, &c. Posses id tu V. C. Nicolae Faber quem sola modestia, vt scio, abstinet ab hac palma. Nam doctrina, iudicium, diligentia tibi superant: & infinita vtiliter & sapienter in sapientissimum scriptorem obseruasse te didici vera fama.

Isac. Casaubonus præfat. in Greg. Nisseni epistolam ad Eustathiam, Ambrosiam & Basilissam.

Illam [*epistolam*] Vir clarissimus atque amicissimus Nicolaus Faber, quem iure possis ἔμψυχον βιβλιοθήκην ἐκκλησιαστικὴν dicere, descripsit, & nobiscum communicauit.

P. Pithæus I. C. Libello de latinis bibliorum interpretib.

quem illi dicauit. epist. ad eundem Fabrum.

Te vero, *Faber*, cuius non solum doctrinæ & eruditioni summæ, sed & pietati ac probitati singulari multum merito defero, eis interim sequestrem vel patronum potius destinaui.

Idem in editione Saluiani Maßiliensis quam illi dicauit, epist. ad eundem Fabrum.

Qualecunque est, tibi *Faber* potissimum deberi volui atque in tuo nomine apparere, vt esset apud omnes testimonium amicitiæ eius qua me tibi ob summas virtutes tuas & singularem in me beneuolentiam deuinctum sentio, atque vltro profiteor.

Nicolaus Rapinus in exequiis Philippi Portæi.

Teque ô magne Faber qui plurima dona, valésque
Ingenium prisca simplicitate tegis.

Io. Sauaro in comment. ad Sidonium Apollinarem ep. 17. l. 7.

Stephanus Tornacensis Episcopus Manus. ex bibliotheca Nic. Fabri viri optimi & eruditissimi &c.

Iac. Sirmundus Soc. Ies. in editione operum Ennodij quam illi dicauit. epist. ad eundem Fabrum.

Te vero, quem bonorum librorum nihil præterit, doctiss. Faber, &c. Quamquam fructum vberem consecutas *notas* putabo, si abs te humaniss. Faber, cum reliqua editione quam nominis tui titulo inscripsi, minime respuantur, vt testatam omnibus faciant amicitiæ nostræ vetustatem: & quanti meritò doctrinam, virtutesque tuas semper fecerim. Quas vt à me commemorari hoc loco pudor tuus non sinat, publica velis nolis fama, operis, vt Ennodius noster ait, index loquitur, & vna de te, vt olim de Nasica, communis suffragij voce consentit.

Idem

Idem in editione Fulgentij, de prædest.

Maioris Carthusiæ codicem secuti, ex cuius membranis descriptum apographũ humanissimi doctissimique Nicolai Fabri Regis Christianiss. magistri, beneficio nacti sumus.

Idem in edit. epistolarum Petri Cellensis.

Petri Cellensis cuius epistolæ nunc primum eduntur, alia quædam Opuscula, de panibus, de tabernaculo, & de conscientia olim prodierunt ex Bibliotheca Nic. Fabri. V. C. cuius in obitu nuper litterati omnes iacturam suam non ficto dolore testati sunt.

Pamelius in annot. ad Tertulianum.

Fuit enim hic Scaurus, vt me monuit clarissimus doctissimusque vir Nic. Faber Senator regius, vltimus ex familia Scaurorum &c.

Ianus Gulielmius quæstionib. in Cistellariam Plauti quas illi dicauit. epist. ad eundem Fabrum.

Nunc hæc, mi Faber, è Plauti Cistellaria vide, & tua illa miniata cerula meliora effice, vt soles nostra omnia, quorum tu κανών es. &c.

Lud. Carrio lib. 2. emendationum & obser. quem illi dicauit. ep. ad eundem Fabrum.

Quis est cui tu contutor, quam Puteano potius apponi velis? alia illa, quæ in vobis gemina sunt, in vulgus nota, mitto; humanitatem vnicam, eruditionem incredibilem, iudicium acerrimum singulari modestia & integritate temperatum. &c.

Ant. Oiselius I. C. Libello poematum.

Mnemosyne mater Fabrum dum lactat alumnum,
Vidit, & infanti Pallas iniqua fuit.

Hiccine Palladias lustrabit lynceus artes?
Cuspide sit nostra lumine luscus, ait.
Hic contra infensæ tantos persoluit honores,
Illum vt iam toto pectore victa colat.

Hug. Grotius præter illa quæ de Fabro honorificè refert in epist ad edit. Martiani Capellæ, hos versus non editos simul cum libro ad Fabrum misit.

Dicebam Musæ. Pedibus talaria nectas,
Et propero cursu Gallica regna petas.
Est tibi Parrhisiæ tantum non proximus vrbi
Inclita qui Mauri nomina vicus habet.
Conspicies illic Condæi principis aulam,
Principis, ô quanto (Iuppiter) ingenio!
Huic Faber hoc præstat, quod Chiron priscus Achilli
Præstitit, aut Magno magnus Aristoteles.
Inuenies illum vel doctis mollia verbis
Formantem docilis pectora discipuli;
Aut aliqua in tacito meditantem scripta cubili,
Quæ maneat seræ posteritatis honos.
Quicquid aget, dices Grotium misisse salutem,
Quâ nullus Fabro dignior esse potest:
Cumque illa librum, cumque ipso denique libro
Paucula in alternos verba coacta pedes.
Quæ tria solum illud poscunt sibi, ne ipse recuset,
Nos in amicitiæ ponere parte suæ:
Parce puer verbis, respondit Musa loquenti,
Nam te vel decuplo notior ille mihi est.

Fed. Morellus epist. ad Notas in siluas Stat ij quas illi dicauit.

Nemus castri Fossatensis, in quod Aonio deducis vertice musas V. C. &c.

ELOGIA.

Bongarsius libro qui inscribitur, Gesta Dei per Francos, epist. Ad lectorem.

Bullam Innocentij PP. cum Andreæ regis Hungariæ ad Honorium PP. litteris, habemus à Nic. Fabro. *Item.* in Roberti monachi historia Hierosolimitana, nos vsi sumus codicibus Manuscript. Nicolai Fabri &c.

In auctario Bibliothecæ Patrum tom. 2. in indice auctorum.

Paulini Aquileiensis contra Felicem Vrgelitanum libri 7. ex Cod. Manuscript. V. C. Nic. Fabri I. C. Parisiensis, *& alia.*

IN HOC VOLVMINE HÆC *continentur.*

NIC.



NIC. FABRI V.C. DISQVISITIO.

Num grauioris mali vitandi causâ leuius committi possit.



ASSENTIOR tibi, Præses amplissime atque doctissime, valdè necessaria est illa disquisitio, ijs præsertim qui ad Reip. clauum admoti sunt, Num grauioris mali vitandi causa leuius committi possit. Sepenumerò enim incidũt eiusmodi rerum perturbationes difficultatésq; temporum, vt in ista quæstione salus Reip. ciuiúmq; incolumitas sita esse videatur. Eo autem exactiùs atq; accuratiùs discutiẽda est, quod vix vlla disquisitio occurrere possit in qua sub specie recti perniciosiùs erretur, maximè cũ vnusquisque grauitatem vel leuitatem mali non ad rationis sed ad opinionis suæ trutinam examinare soleat. Libenter etiam accedo definitioni mali à te traditæ, vt illud sit quod contra leges diuinas, vel naturales, vel politicas admittitur: ita enim in mali definitione conuenientibus nobis, quid sit de quo cõtrouersia est intelligetur, faciliúsque quid de ea sentiendũ sit perspicietur. Ex ea etiam mali definitione hoc elicitur quod, velut in Mathematicis lemma, ad huius quęstionis discutionem maximo vsui est; nempe malũ in duplici esse differentia, alterũ quod natura sua tale est, alterũ quod ex hominum

instituto. Nam quod Dei legibus vel naturæ turpe est, ad vnum eundémque fontem refero, id est, ad Deum naturæ auctorem, qui rebus à se conditis leges indixit quas nemo quouis prætextu vel occasione violauerit, qui non in grauem numinis earum auctoris offensam incurrerit. Ab ijs igitur legibus quæ ex hominum instituto dependent, quandoquidem in eas magistratus legúmque executores plus iuris habent liberiúsque de ijs pro arbitrio disponere possunt, disquisitionem ordiamur, vt inde ad illas quæ à natura constitutæ sunt & ab eius auctore Deo gradum nobis faciamus. Apud omnes in confesso est, legum ciuilium potestatem ex mera legislatorum & eorum qui ipsarum legum executioni & conseruationi præsunt auctoritate pendere. In ijs autem legibus cum ex XII. salus populi primum locũ sibi vindicet, *Salus* enim *populi*, inquiunt, *suprema lex esto*, quicumque saluti ciuium meliùs consulit, licet contra verba legum faciat, sensum tamen siue legislatoris qui eas rogauit, siue populi qui sciuit, siue regis & dominantis qui iussit, feliciùs assecutus secutúsque esse videbitur. Leges enim licet non ad tempus sed vt æternæ permaneant constitutæ sint, si temporum tamen successione negotiorúmque varietate mutata Reip. facies noxiæ vel inutiles esse cœperint, non vltra pro legibus habendę sunt. Vix enim ac ne vix quidem fieri potest, vt leges quæ generaliter constitui solent, & de iis quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον fiunt, in tanta rerum humanarum diuersitate, omnes negotiorum formas complectantur, minimè vero eas quæ rarò contingunt. In illis igitur quæ legibus comprehensa non sunt, ita iis vtendum est vt in ædificatione Lesbia plumbea regula, & quandoquidem legi-

bus aptari negotia non possunt, leges ad negotia flectendæ sunt. Athenis à Lacedemoniis subactis, cuidam oratori suadenti vt muros vrbis populus euerteret ac dirueret, cum alius exprobrasset quòd muros illos euertendos censeret quos Themistocles ad populi salutem ædificasset; idem, infit ille orator, quod Themistocles facio, persuasit quod suo tempore vtile Reip. erat, ego nunc quod meo. Hinc Flaccus vtilitatem, iusti & æqui matrem vocauit. In politicis ergo legibus cum id semper pro iure habeatur quod commodis publicis est vtilius, iuríque semper insistere magistratus debeat, nemini obscurum esse potest magistratum vbîque id amplecti debere quod Reip. maximè conducit vel minus est noxium; Licet enim fortasse contra ius scriptum fuerit, non tamen iniustitia dici potest vel crimen, sed potius, si Aristoteli credimus, ἐπιεικὲς ϗ ἐπανόρθωμα νομίμου δικαίου locum igitur in iis quæstio suscepta habere non poterit, cum malum vel turpe dici non possit quod iure fit & ab honestate non est alienum. Verum enimuerò in iis rebus quæ vel Dei vel naturæ legibus prohibitæ sunt, quãdoquidem in præcelsam illam majestatem eiúsve constitutiones vilibus homuncionibus quidquam vindicare sibi non licet, vereor ne longè aliud statui debeat. Cum enim vim suam non ex nostra opinione ac auctoritate, sed ex suprema illa majestate quæ rebus à se creatis leges quas voluit indixit, ordinemque talem esse statuit, tantum abest vt quæ contra istas leges committuntur, deterioris comparatione licita atq; honesta fieri possint, vt ne contraria quidem lege lata, turpia esse desinant. Contra illud ius, Persæ coniugium matrum cum liberis legibus patriis admittebant, non minus ta-

men inde turpe factum illud natura ipsa elocuta est; terra enim cadauera eorum qui se tam fœda coniunctione maculassent non admittebat. Notum est quod temporibus Iustiniani Imp. Agathias contigisse scriptum reliquit. Cum Damascenus Syrus, Simplicius Cilix, Priscianus Lydus, Elatius Phryx, Hermias, Diogenes & Isidorus Gazæus summi illius ætatis Philosophi in Persiam emigrassent, quod se Christianis à quibus religione dissidebant odiosos sentirent, & in itinere quoddam cadauer insepultum inuenientes, à seruis terræ mandari curassent, nocte vnus ex iis visus est sibi hos versus insusurrari.

Μὴ θάψῃς τὸν ἄθαπτον, ἔα κυσὶ κύρμα γενέσθαι.
Γῆ μήτηρ πάντων μητροφθόρον οὐ δέχετ' ἄνδρα.

Quod cum sociis narrasset, & sequenti die, sic exigente itinere, per eum locum vbi cadauer illud condi iusserant transirent, ipsum iuuenerunt eiectum è terra & in eius superficie vt priùs iacens, inde discentes eam esse pœnam incestæ Persarum commixtionis. Hæret hæc lex in animis hominum praua institutione vel libidine non corruptorum à natura infixa, omni lege scripta fortior ac imperiosior, iisque suggerit quæ facienda sunt prohibétq; cõtraria. Huic autẽ legi, vt apud Lactantiũ auctor est Cicero, nec obrogari fas, nec derogari aliquid, nec tota abrogari potest, & sanè qui violarit ipse se fugiet naturámque hominis aspernabitur, hocque ipso luet maximas pœnas, etiamsi cætera quæ putantur supplicia effugerit. Quare ad periuria, rapinas, innocentium condemnationes vel cædes, adulteria, falsas tabellas & cætera id genus quæ natura turpia sunt, non magis adigi vir probus vlla spe, vel timore, vel vi aut violẽtia, aut vllo

denique impulsu aut prætextu potest, quam vter vento inflatus, vt dicebat Zeno, aquis submergi, quo plus oppresseris eo fortior assurget.

Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida: neque Auster
Dux inquieti turbidus Hadriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus,
Si fractus illabatur orbis
Impauidum ferient ruinæ.

Quid enim timeat? οὐ θανεῖν ἄφροντις ὤν. Magnificè apud Sophoclem regia virgo, siquidem à tyranno interrogata cur contra edictum regium fratri iusta facere ausa esset.

Οὐ γάρ τι μοι Ζεὺς ἦν ὁ κηρύξας τάδε,
Οὐδ' ἡ ξυνοίκος τῶν κάτω θεῶν δίκη,
Οἳ τοὺς δ' ἀνθρώποισιν ὥρισαν νόμους,
Οὐδὲ σθένειν τοσοῦτον ᾠόμην τὰ σὰ
Κηρύγμαθ', ὥστ' ἄγραπτα κἀσφαλῆ θεῶν,
Νόμιμα δύνασθαι θνητὸν ὄντ' ὑπερδραμεῖν.

Ergo cum ad has angustias se deiectum inueniet vir bonus vt aut moriendum sibi sentiat, aut aliquid contra ius & fas admittendum, centies mortem oppetere quam semel vel latum vnquem à virtutis atque honestatis tramite deflectere eliget. Quid si inde salus Reip. dependeat! non tamen fortunæ cedet. Quid enim ad gubernationem pertinet si nauis obruatur tempestatibus, dummodo rectum ipse clauum teneat! cum vnusquisque culpam tantum non fortunæ varietates atque euentus præstare debeat. Hæc cum ita esse etiam illi senserint qui peculiari gratiæ & fidei defecti lumine,

notitiæ diuini numinis illud solum habuerunt quod naturali ratione illustrati consequi potuerunt: quanto magis rata & firma & animis infixa nobis Christianis esse debent, qui à Deo ipso edocti, primum per Patriarchas & Prophetas, deinde per verbum eius diuinum Dominum nostrum IESVM CHRISTVM in terras è cœlo venientem, posteà per Spiritum eius Sanctum infusum cordibus Apostolorum totiusque Ecclesiæ, in quo per eiusdem domini nostri lauacrum regenerationis facti sumus filij Dei, totius religionis ac pietatis fundamentum esse ducimus, vt Deum nostri generis auctorem, reparatorem, ac conseruatorem ex toto corde nostro, ex tota mente, ex totis viribus, & si quid significantius dici potest amemus, amplectamur & veneremur? Qui eius leges sacrosanctáque mandata eo loci habere iubemur, vt eorum obseruationi non facultates nō opes præferamus, sed nec necessitudines aut affectus, non parentes aut patriam, non deniq; salutem propriam in æquo habeamus. Ait dominus, *si quis amauerit patrem, vel liberos vel seipsum plusquam me, meus non est discipulus:* quid sibi vult, *meus non est discipulus*, nisi quod si quis contra fecerit non est Christianus, hoc enim nomine vocatos Antiochiæ primum discipulos Christi sacræ litteræ testátur. Quis igitur dubitationi relictus est locus, quin is qui Christianus vocari & esse cupiat, mandatorum eius obseruationem non tantum saluti suæ temporali, sed & publicæ incolumitati, & si eiusmodi negotij species effingi potest, religionis conseruationi præferri debeat; qui enim aliter potest! cum illud tragici eius obuersari semper debeat animo θεὸς ἐμοὶ ἄρχων· θνητῶν δ' οὐδὲ εἷς· Itáne putas, vir maxime, vnquam contingere

posse cum Deus sua prouidentia cũcta sapientissimè regat & moderetur, vt eos qui eius voluntati in omnibus obsequi nituntur vitámque propriam contemnunt quo vestigiis legis diuinæ insistant, in eas angustias incidere sinat ex quibus eripi ac liberari absque scelere nequeant! adeóne sinistrè ominabimur de infinita eius in suos beneuolentia vel immensa potestate, vt vel nolle eos ex aduersis quibus opprimantur nisi per scelus & iniuriam eripere, vel si velit, efficere tamen non posse credamus? quorsum euadent non minus vera quam magnifica eius promissa quibus statim se ad futurum inuocantibus pollicitus est, voluntatémque eorum facturum. Cur perpessitius ille Iob mendacio nostro non egere Deum dixit? qui minus enim mendacio quam adulterio, proditione vel aliquo alio scelere? quid quod disertis verbis per prophetam regium ipse promisit se non diuturnam impiis potestatẽ in iustos permissurum, ne ipsi etiam iusti extendant ad iniquitatem manus suas & in impietatem labantur. Quod si B. Paulus non facienda mala esse vt eueniant bona docuit, quanto minus ne deteriora fiant. Præterea quam lata sceleribus atque omni generi corruptionis semel admissa illa criminum comparatione ac compensatione aperiatur via, pro tua ingenij perspicuitate melius ipse vides. Quod enim adeo horrendum crimen est quod deterioris comparatione leuius non apparere possit, ideoq; admittendum censeri? ista nempe persuasione ductus Origenes ne ab Ethiope stupraretur thurificare nõ est veritus, ob quod tamen crimen à cæteris martyribus velut extra ecclesiam factus tãquam euitandum bidental derelictus est. Iam verò illud futurum malũ cuius metu leuius eligitur, vel à te ipso times,

vel ab alio committendum. Si à te ipſo, ſupra oſtendimus virum probum non magis timore ad ſcelus cogi poſſe quam ſpe, gratia, vel ira. Si ab alio, quam præpoſtera illa eſt caritas, cum caput noxa ſequatur, Deúſque mortem interminetur animæ quæ peccauerit, & vnicuique non ab aliena iniquitate ſed à propria timenda ſit damnatio, malle proprio ſcelere contaminari quam alienum ſuo. Quid enim nocuiſſet Origeni Æthiopis turpitudo quam ipſe non feciſſet ſed pertuliſſet? non magis ſanè quam homicidium immanitáſque tyrannorum tortorúmque quæ cæteri martyres in ſuis corporibus experti ſunt. Ita enim non amittitur corporis ſanctitas manente animi ſanctitate, ſicut amittitur corporis ſanctitas violata animi puritate. Putáſne Suſannam melius conſulturam ſibi fuiſſe ſi ſenibus adulteris obtemperaſſet? & tamen ſi obtemperaſſet, adulterium quidem à tribus perpetratum fuiſſet, ſed nihil præterea, non obtemperando autem in manifeſtum ſe periculum mortis coniecit, & adulteris nihilominus permanentibus illis ſenibus, falſos inſuper teſtes & homicidas effecit, ita vno adulterio quatuor non minora ſcelera euitare potuit, mortémque infamem quam abſque dubio perpeſſa fuiſſet, ni certiſſimus ſuorum auxiliator innocentiumque pręſentiſſimus vindex Deus per Danielem, tanquam ἀπὸ μηχανῆς, innocenti mulieri auxilio adſtitiſſet. At vero quantùm majeſtas diuina virtutem conſtantiámque ſanctiſſimæ matronæ huius miraculoſa pœnæ liberatione probauit, tantum maximi & Apoſtolicæ ſanctitatis viri in hac re errorem ſe auerſari, vim eius cõtra ſpiritus immundos diminuens demonſtrauit. B. Martinus epiſcopus nobiles quoſdam viros quos Maximus

ximus Tyrannus Treueris in vinculis habebat & occidere decreuerat, quod pertinacius in partibus imperatoris Valentiniani stetissent, cum liberare vellet, à Tyranno ipsos captiuos sibi donari petijt; annuit Tyrannus, sed ea lege si communionē iniret cum Ithacio & aliis Episcopis qui in necem Priscilliani consenserant, renuit conditionem Episcopus, ira percitus Maximus vinctos duci iussit, innocentium igitur periculo motus cum cessisset Episcopus conditionémque accepisset, *Et postero die reuertens in via ingemisceret, se vel ad horam noxiæ communioni fuisse permixtum*, inquit Sulpitius Seuerus, *adstitit ei Angelus, meritò, ait, Martine compungeris: repara virtutem, resume constantiam, ne iam non periculum gloriæ sed salutis incurreris. Itaque ab illo tempore satis cauit, cum illa Ithacianæ partis communione misceri. Cæterum cum quosdam ex energumenis tardius quàm solebat, & gratia minore curaret, subinde nobis cum lachrymis fatebatur, se propter communionis illud malum, cui se vel puncto temporis, necessitate, non spiritu miscuisset, detrimentum sentire virtutis.* Vides, eruditissime Præses, Deum opt. max. qui dilectionem tantopere nobis commendatam esse voluit, vt in ea suorum discipulorum tesseram, legísque Christianę consummationem constituerit, nolle tamen tantæ virtutis prętextu, vel homicidij innocētium virorum quos se vlturum nō vno in loco promisit, vitandi causa, quidquam mali, & quidem non ita grauis committi: Quid igitur? innocentes viros & in discrimē capitis, ob egregiam operam Imperatori suo nauatam, vocatos deserere debuit? minimè verò, sed imitatus Iosaphat pium regem, cum omnia expertus esset, quæ humani sagacitas ingenij, vel

diuini bonitas numinis suggessisset, adhortatus illos fortiter ferre quidquid de iis Deus statuisset, reliquum diuinæ clementiæ commendare oportuit. Dominus est, quidquid in eius oculis gratum, ferendum est. Superest vt exemplis contrariæ opinioni fauentibus quid respondeant sacrorum librorum interpretes, paucis perstringam, vereor enim ne patientia tua videar abuti, si te diutius à melioribus curis auersum detineam. Permissus est Naaman, inquis, adorare in templum Remmon; quid hic mali subest, cum Deus verus vbique adorari possit? Paulò antè dixerat Naaman se imposterũ Deum Israël solum adoraturum, quærit an id liceat in templo Remmon, Neophytus non satis religionis præceptis instructus veretur ne locus infamis Dęmonum cultu, diuinæ majestatis honori detrahat. Securum illum ea de re, & in pace viuere iubet Propheta: quod scilicet religioni nihil inde preiudicio fiat. Ita enim omnes hunc locum intelligunt, quo, qui in religione dissimulationem probant, ferè abuti solent. Quod ad Esther attinet, nec ipsa etiam nubendo non circumciso regi quidquam criminis admisit, legem enim illam cum Ethnicis ius connubij Iudæis vetantem, solent interpretes ad Cananęos cęterósque Ethnicos terræ sanctæ vicinos restringere, nec Iudæos extra propriam terram habitantes obligare dictitant, quod & ratio legis facilè persuadet. De periurio autem quod subijcis; Periurium committi non potest, cum quid iureiurando contra leges, vel bonos mores, aut honestatem publicam promissum est, huiusmodi enim sacramenti crimen non in eo contrahitur si promissis non stetur, sed in eo quod sacramentum temerè emissum sit. Lex enim sacra non iubet solum quæ

iureiurando promissa sunt præstari, sed omninò sacrosanctum Dei nomen temerè proferri vetat. *Non accipies*, inquit, *nomen Dei tui in vanum.* Quare qui illicita promissa vel vota perficit, non voto absoluitur, sed temerario sacramento aliud crimen adiungit. Nam Iephtes votum, nisi huic facto grande subesset mysteriũ, quàm temerè conceptum, quàmque impiè persolutum sit ipse mecum agnoscis, si modo ipsa puella à patre occisa est, & in holocaustum Deo oblata, quod negant tamen doctissimi viri rerúmque Hebraïcarum apprimè callentes, qui non occisam puellam volunt, sed Deo sacrificatam & deuotam; quemadmodũ clementissima illa Majestas & humani generis amantissima homines sibi deuoueri quærit. nempè corde & volũtate: totóque vitæ tẽpore in desertis locis à consortio virorum remotam virginem perseuerasse dicunt, contextúmque ad Hebraicam veritatem reuocatum id significare contendunt. Sanè Iosephus huiusmodi sacrificium οὔτε νόμιμον, οὔτε τῷ θεῷ κεχαρισμένην θυσίαν asserere non est veritus. Addis Christum docuisse Sabbatum non semper esse seruandum, immò docuit illud non violari si opera pietatis in eo perpetrentur. Iudæi Sabbatho asinum in foueam lapsum extrahebant: inuidia tamen excæcati Christum arguebant quod mulierem filiam Abrahæ Sabbatho curasset, quasi quid minus asino suo homo esset. Christus igitur legis auctor eiusdémque interpres optimus nos docuit operibus piis Sabbatum non frangi, omnibúsque diebus illa exercenda esse. Quod ad libellum repudij attinet, tam Dei esse ipsum libellum quam matrimonij præceptum, ex cap. XXIV. Deuteronomij patet. quod & Malachias disertè expressit, *Noli despicere*, inquit ille Pro-

pheta, *vxorem adolescentiæ tuæ, cum odio habueris dimitte, dicit Dominus Deus Israël.* Sed Euangelista Mathæus repudium Moysi tribuit, quemadmodum Ioannes cætera legis cum scripsit, *lex per Moysem data est.* Exceptiones præcepti. *Non occides*, eandémque rationem habent, æquè enim à Deo sunt atque præceptum. Exceptiones enim ipse Deus præcepto adiunxit, quibus occidendo non solum scelere vaces, sed etiam laudem merearis. Romæ Lupanaria habentur, sed magno nostro opprobrio, his enim hæreticæ vrbes carent. Furtum nullibi laudatum puto in Sacris litteris, furata Labã patris idola filia narratur, sed non laudatur. *Hæc*, inquit, B. Augustinus, *cum in scripturis legimus, non ideo quia facta legimus facienda etiam credamus, ne violemus præcepta dum passim sectamur exempla.* De deposito, non negat depositum qui furenti vel irato gladium sibi commodatum reposcenti, quo in se vel alium malè vtatur non reddit. *Tunc fidem fallam*, inquit Seneca, *tunc inconstantiæ crimen audiam, si cum omnia eadem sint quæ erant promittente me, non præstitero promissum.* Cæterum sapiens ad omnia cum exceptione venit, si nihil inciderit quod impediat. Falsum autem testimonium ne quidem vt innocẽtem liberes dicere licet; quid si verò testimonio, fratris facultates, honorem, vitã euertam? Nulla lex, vt testimonium in fratrem dicas, te cogit, si veritate fratrem iuuare non potes, silentio iuua; quum animum ad silentium firmaueris, quis te ad ferendum testimonium adiget, si vir es? si mori potes? Laudatur à B. Augustino Firminus Thagastensis Episcopus qui cum vrgeretur vt redderet quemdam quem ad necem quæsitum ab Imp. occultauerat, constantissimè respon-

dit, nec mentiri possum nec quemquam prodere, à qua constantia nullis tormentis dimoueri potuit. Quod quæstionem moues, num illa crimina ἑκούσια quidem sed ἀέκοντι θύμῳ facta, iam non crimina sed potius iusta facta dici possint, vereor ne frustra sit. Cum enim crimina alia quidem leuia, alia grauia sint, nec sententia Stoïcorum probanda sit, quæ omnia ęqualia esse voluit, vt iusta tamen quædam dici queant peccata, nulla ratione effici posse puto, non magis quam iniquitas iusta, verum mendacium, vel castum adulterium, dici poterit. Epistolam tuam claudit quæstio de obsessis, num possint extremis coacti, certorum ciuium deditione quos potentioris hostis ira ad vindictam exposcit, reliquis ciuibus salutem, Reíque publ. liberationem pacisci. Nisi me fallit memoria, & cur non fallat senem, cum illa prima sit quæ in homine senescat? agitata est inter nos quæstio, vtrum certo ciuium numero, in quos iram expleat, ab hoste petito, ciues, absque sorte vel alia ęquabili omnibus conditione, vt sese periculo eximant quosdam dedere possint, exemplum attulimus conditionis à rege Anglorum Caletensibus oblatæ, circa annum Christi CIↃ CCC XLVII. in quo, vt sex illis ciuibus sese vltro pro omnium salute deuouere gloriosum fuit, ita crudele asserebam atque etiam impium, cæteris ciuibus extra aleam positis, istos sex inuitos impotenti hosti obiicere, atque, quod ait ille Sinon apud Virgilium, *Quæ sibi quisque timebat*, in istorum miserorum exitium, *conuersa referre*. Quid enim aliud hoc est quā humanis hostiis non Dæmonia, sed homines Dæmoniis immanitate non inferiores placare? Designatis autem ab obsidente hoste ciuibus quos sibi tradi velit, sententiæ tuæ faci

le accederem, si sua culpa hi ciues ad pœnam petiti, potentioris hostis odium contraxerint. Quid enim si exposcuntur qui sua vigilantia, virtute, ac labore, ipsius Tyranni libertati patrię imminentis dolos, fraudes, insidias, atque impetus retundentes frangentésque, eius odium contraxerunt? At vero dices, expedit vnum hominem mori pro populo; expediit quidem, vt ille vnus innocẽs homo pro populo moreretur, cuius pretioso sanguine Deo patri reconciliati sumus, alium vero innocentem neminem expedit. Illam enim excæcati inuidia Põtificis sententiam, vt verissimam esse ex Spiritus Sancti sensu quem secutus est Euangelista, omnes vno ore consentiunt, ita ex proferentis mente non solum in Christo innocentissimo, sed in quouis alio innocente crudelem atque impiam omnes agnoscunt; Vt finem faciam non aliunde hæc quæstio nascitur, quam quod pauci dignoscere possunt, vt ait Satyricus.

Vera bona atque aliis multum diuersa, remota
Erroris nebula. Quid enim ratione timemus?

Ad bonorum direptiones, facultatum, honorum, affectuum amissiones, euersiones vrbiũ, mortes nostrorum, cædes stagésque populorum, ruinas, incẽdia, diluuia, pestes, & si quid aliud in nos fortuna sæuiens durius torquere potest horrescimus. Hæc tamen quid aliud sunt quam manus sapientissimi clementissimíque medici, non ad voluntatem sed ad sanitatem nos curantis? *Non est magnus*, inquit quidam ex veteribus, *magnum putans, si ligna & lapides cadunt, & mortales moriuntur.* Exhorrescamus potius, vt præcipit B. Augustinus, quod minatur omnipotens, amemus quod pollicetur, & vilescet omnis mundus siue promittens siue terrens. Hæc

ſunt, vir clariſſime, quæ de propoſita quæſtione paucis diſſerere, quantum epiſtolæ ratio patitur, è re eſſe exiſtimaui; quæ ſi tuum calculũ meruerint, ſed quî poſſint ſemibarbara, tam terſi ingenij, iudiciíque adeo perſpicacis? ſcopum aſſecutus, operam egregiè collocaſſe merito mihi perſuadebo; Sin minus, non tamen eam luſiſſe videbor, qui à te impoſitum onus licet viribus impar libens ſubeundo, non quid valeant humeri, quid ferre recenſent penſitare, ſed quantum tuæ virtuti, doctrinæ, dignitati, morúmque probitati tribuendum ſit, rationem inire debuerim. Vale.





NIC. FABRI IN B. HILARII EX OPERE HISTORICO FRAGMENTA PRÆFATIO.

AD CLARISS. VIRVM IAC. AVG. Thuanum Sacri consistorij Consiliar. Senatúsque Parisiensis Præsidem doctiss. atque prudentissimum.



ECCE tibi restituo, PRÆSES AMPLISSIME, beati Hilarij Pictauiensis Episcopi librum à viro doctrina, prudentia, morúmque integritate maximo, P. Pithoeo suprema voluntate relictum, meæque fidei vt solidus ad te perueniret, id est, sine vlla deductione & quam optimo iure apud testatorem fuit, commissum. Munus est, si folia numeres, non valde magnum, sed si auctoris dignitatem, si fatum libri, si rei de qua tractat grauitatem consideres, eiusmodi, vt non acceptissimũ esse nequeat. Tibi enim omnium disciplinarum genere instructissimo, Gallicæ salutis, ac laudis amantissimo, & antiquæ pietatis ac constantiæ studiosissimo, non potest non gratissimum esse antiqui scriptoris Galli, Theologorum qui in occidente floruerunt celeberrimi ac disertissimi, excelsæque arboris, vt eum vocat B. Hieronymus, qua

ædificata eſt Eccleſia Dei, ad hæc etiam fortiſſimi confeſſoris librum, de grauiſſima omnium quæ vnquam in Eccleſia fuerunt controuerſia ſcriptum, poſt tot annos è tenebris erutum clariſſimi tui nominis auſpiciis lucem aſpicere. Hæc etſi ſatis ad commendationem muneris valeant, apud te præcipue qui pro tuo erga litteras religionémque ſtudio, erectóque atque infracto aduerſus diuitias fumóſque aulicos, ad quæ ſola nunc concurritur, animo ſemper id genus reliquias Attalicis conditionibus prætuliſti: Paſſieni tamen ſententiæ ſi bene te noui, accedes, pluríſque in eo facies iudicium eruditiſſimi, cordatiſſimíque viri, qui te dum vixit ob egregiam doctrinam, prudentiam, ſtudiúmque ac pietatem in Remp. in quibus tecum conſpirabat, vnice amauit & coluit, moriénſque ſuæ erga te propenſæ voluntatis publice hoc teſtimonium poſteritati extare voluit. De auctore vero iſtius libri nemo codici manu ſcripto qui B. Hilario eum adſcribit fidem detrahet, viríque potentis titulum alienæ poſſeſſioni adfixum controuerſiam mouebit qui ſtili vel ingenij tanti doctoris aliquem guſtum habuerit, ſi quidem longas & inuolutas & Gallici Rhodani vt violenti ac prærapidi, ſic etiam aliquantum limi ſecum trahentis, quo charactere naris emunctiſſimæ ſcriptor ipſe Hieronymus ſcripta Hilarij ſignauit, deprehendere licet. Sed quid verbis in re aperta opus eſt? ſi cui ea in re aqua hæreat, hunc librum cum ijs quæ omnium calculo pro Hilarianis recepta ſunt contendat, nec aquam aquæ, nec lacte lacti ſimilius inueniet. Nec ſane hiſtoricum iſtud opus antiquis ignotum fuit: ſi quidem illud ipſum eſſe quod idem ipſe Hieronymus contra Vrſacium & Valentem,

continens narrationem Ariminensis concilij, Hilarium scripsisse tradidit, huic libro præfixa inscriptio fidem facit. Ipsi enim Vrsacius & Valens alter Singiduni superioris Mysiæ, alter Mursæ Pannoniæ (quamuis non vno loco Athanasius Alexandriæ Episcopus vtrumque Pannonem vocet) Episcopi cum Caïo æque Pannone, & Germinio Cyzici primum deinde Sirmij Episcopo totius Arriomanorum Tragœdiæ choragi, atque adeo hypocritæ extiterunt; ad quos cum, vt ait noster Hilarius, Arriani nominis hæreditas & successio defluxisset, non ausi aperto Marte fidei Nicenæ bellum indicere stante ipso Athanasio, quem strenuum robustúmque eius propugnatorem, ac plane, vt eum indigitat Nazianzenus, ςύλον τῆς ἐκκλησίας verebantur, cuniculis id agere statuerunt, ipsúmque Athanasium imprimis tollendum euertendúmqne susceperunt. Hinc illæ de Arsenio interfecto, & confracto calice sacris mysteriis destinato calumniæ, quarum prætextu cum à factiosis depositus Imperatorísque decreto in exilium missus esset, totus orbis tanti viri casu concussus est. Quin etiam cum synodis Alexandrinæ, Romanæ, & œcumenicæ Sardicensi Athanasius suam innocentiam approbasset, calumniatores vero non solùm tot sententiis conuicti atque damnati, sed etiam libellis oblatis eidem Sardicensi synodo, Iulióque Pontifici Ro. criminis admissi hæreseósque veniam deprecati, Ecclesiæ communioni fuissent redditi, iterum tamen canes ad vomitum reuersi fœdas illas & Ecclesiam Dei, quæ domus pacis est, parum decentes discordias, Episcoporum discursationes Mediolanum, Sirmium, Seleuciam asperam, Ariminum, Constantinopolim, Ni-

cæam Thraciæ, & quo non terrarum? Præterea proſcriptiones, exilia & cædes excitarunt, quæ quamdiu in viuis extitit Conſtantius, Catholicos Epiſcopos exercuerunt, tandémque detracta perſona Nicænam regulam oppugnantes, Imperatorem ipſum, cuius poteſtate nitebantur, impulerunt, vt Epiſcopos Arimini congregatos ad ſubſcriptionem nouæ formulæ fidei ſubdolis verbis conceptæ adigeret, quæ contra trecentorum & octodecim patrum decretum, οὐσίας καὶ ὁμȣσίȣ vocabulis indicto ſilentio, Filium Patri ſimilem ſecundum ſcripturas profitebatur, dicentibúſque illum creaturam ſicut aliæ ſunt creaturæ, Anathema infligebat. Nec tamen ibi conſiſtendum eſſe duxerunt, *Nam quis peccandi finem poſuit ſibi?* Verum felicitate ſucceſſus audaciores facti non iam de vocibus οὐσίας καὶ ὁμουσίȣ tanquam diſcordiæ pomo quæſtionem haberi ſignificarunt, ſed inoperto capite purum putúmque ſeu potius impurum putidúmque Arrij dogma concilio Antiochiæ profeſſi, filium Patri diſſimilem penitus καὶ ἐξ οὐκ ὄντων creaturam ſtatuerũt. Cuius impietatis ipſum Imperatorem auctorem ac vindicẽ extitiſſe, Athanaſius aſſerit. Igitur Vrſacius & Valens illi ipſi ſunt *quibus inſtantibus ſub Imperatore Conſtantio factum eſt Ariminenſe concilium contra formellam Nicæni tractatus, qua vniuerſæ hæreſes comprehenſæ erant*: in quos hoc opus ſcriptum eſt. Quamquam, vt quod ſentio dicam, hæc libri inſcriptio multo plus in fronte ſpondeat quam præſtet in receſſu; niſi quod operis longioris pluribus fortaſſe comprehenſi libris, & narrationis exactæ eorum quæ Ariminenſi concilio geſta ſunt, vel quæ ipſum præceſſerunt aut poſtea ſecuta

ſunt initium tantum, ac diuulſa quædam fragmenta, nõ autem integrum opus vel librum hîc exhiberi cenſeo. & ſanè auctor huius libri ſtatim in ipſius initio ſcribit narrationem ducturũ ſe ab Arelatenſi concilio, quo Paulinus Treuirorũ Epiſcopus Galliarúmq; vt eum Græci vocãt, Metropolitanus anno Chriſti CCC. LIII. Saturnini cęterorúmq; Arrianorum factione depoſitus & in exilium actus eſt: dę quo tamen deinceps altum eſt ſilentium. Quicúmq; enim hęc excerpſit, Κορυφὰς ἑτέρας ἑτέραις προσάπτων μύθων, huic propoſitioni continuo ſynodales epiſtolas Sardicenſis concilij ſex ante annis habiti, alterã ad omnes Eccleſias, alteram ad Iulium P. R. innocentiam Athanaſij compertam ac conteſtatam indicantes ſubiecit: de quibus plura dicere, quandoquidem hanc doctis, Iupiter, & laborioſis ſuis annalibus vir illuſtriſſimi nominis ac dignitatis Cardinalis Baronius inſeruit, omiſſis ſubſcribentium Epiſcoporũ nominibus quæ ab eius codice aberant; illa vero non vno loco apud antiquos exſtat, ſuperfluum exiſtimo. Idẽ etiam perſpicere eſt pag. XXXV. in qua cum B. Hilarius lucem narrationi ſuę allaturam dixiſſet illam orationem quam eadem Sardicẽſis ſynodus per Vincentium Capuæ, & Euphratem Coloniæ Agrippinæ Epiſcopos, Antiochiam vſq; ad Conſtantium miſſos habuit, magno tamen hiſtoriæ detrimento nulla hic exſtat, ſed eius loco quædam Liberij P. R. & aliorum epiſtolę nullo temporis, vel rerum ordine ſeruato velut in faſciculum congeſtę leguntur. Nam quæ prima occurrit, à Liberio circa ſui pontificatus initium, quod in annum ſalutis CCCLIII. incidit, ſcripta videtur. Par eſt enim ipſum accuſationem coram Iulio præceſſore ſuo inchoatam non diu protraxiſſe, ſed ſtatim vt

pontifex renunciatus eſt, legatos illos ſuos ad Athanaſium miſiſſe Alexandriam, detrectantémque iudicium condamnaſſe. In quo tamen nodus Deo vindice, id eſt ornatiſſimo illo doctiſſimóque Annalium eccleſiaſticorum ſcriptore dignus ſubeſt. Cum enim auctorum omnium ſcriptis conſtet, Athanaſium iam olim ante Liberium aduerſariorum artes verſutiáſque detexiſſe, manifeſtóque mendacio traduxiſſe, quis potuit eſſe tot ſynodis confixorum accuſationi, aut tot ſententiis abſoluti condemnationi locus? aut quomodo communione ſua potuit Athanaſio Liberius interdicere, cuius condamnationem ab Orientalibus aliquot Epiſcopis factam, & ad ſe pontificatus ſui initio miſſam, vt ratam eam haberet, quemadmodum idem ipſe Liberius in Epiſtola ad Conſtantium quæ hîc edita habetur teſtis eſt, accepta eodem tempore ſeptuaginta quinque Epiſcoporum Ægyptiorum Athanaſij innocentiam teſtante ſententia comprobare noluit? Omitto quod huiuſce condamnationis nec Athanaſius ipſe qui res ſuas diligentiſſime non vno libro complexus eſt, nec quiſquam alius quod ſciam veterum vſquam meminit. Falſam autem aut ſubdititiam eſſe ſtilus negat, & præterea cui bono? Adeò verum eſt illud Tragici.

Ἅπανθ᾽ ὁ μακρὸς κ᾽ ἀναρίθμητος χρόνος
Φύει τ᾽ ἄδηλα, καὶ φανέντα κρύπτεται.

Sequentis eiuſdem Pontificis epiſtolæ quamuis ipſa connexionem cum præcedentibus aptiorem non habeat, certior tamen eſt hiſtoria. Quantum enim ex eius vbique corruptiſſimæ lectione datur aſſequi, poſt Imperatoris Conſtantij obitum, reuerſúmque ab exi-

lio Euſebium Vercellarum Epiſcopum cum noſtro Hilario, & Athanaſio diuina prouidentia quæ ſuis tempori nunquam non adeſt, Reip. Chriſtianæ conſtituendæ reſtaurandæque Triumuirum præſtitutum, conſeruatum atque alitum, hoc eſt, circa annum Chriſti CCC. LXIII. ſcripta eſt. Nempe quo tempore in Occidente pariter ac ante ſynodo Alexandrina in Oriente concordiæ pacíſque ſtudio, ac bono à tribus illis, ὡς ἀληθῶς ἀνθρώποις τοῦ θεοῦ καὶ μεγίστοις τῶν ψυχῶν οἰκονόμοις ex XII. *Sanatibus ac fortibus ſiremps lex* dicta eſt, Arrianorúmque communione fœdatos exceptis hæreſeos auctoribus perfidiæ renunciantes, *Eccleſia Catholica*, inquit Auguſtinus, *materno recepit ſinu, tamquam Petrum poſt fletum negationis per Galli cantum admonitum, aut tanquam eundem poſt prauam ſimulationem Pauli voce correctum.* Lucifer ſolus Calararum Sardiniæ Epiſcopus, conſtantia fidei, ſcriptorúmque libertate, ſi labem iſtam excipias, inter Eccleſiæ lumina recenſendus, paucíque alij nimia ſanctitate dicam, an peruicacia, *hanc matris caritatem ſuperbe accipientes & impie reprehendentes, quia poſt Galli cantum ſurgenti non gratulati ſunt, cum Lucifero qui mane oriebatur cadere meruerunt.* Adeo in omnibus rebus vt optimum, ita & difficillimum eſt modum ſeruare. Vrſacio enim & Valente, vt ſcelera diu latere non poſſunt, vlcus Ariminenſis fidei ab omnibus fere Epiſcopis pro orthodoxa ſuſceptæ ac comprobatæ detegentibus, Filiúmque ſimilem Patri dictum interpretantibus οὐχ ἁπλῶς, verum κτ' π. id eſt ſecundum ſcripturas, & quatenus ſcripturis ſacris ea ſimilitudo conformis eſt; ex iíſque nec æqualem Patri Filium, nec vnum cum eo

(ſemper enim à vero ſimilitudo abeſt) conficientibus , creaturam etiam negatum ſicut ſunt aliæ creaturæ: præſtantiorem enim eſſe, ſed creaturam tamen eludentibus, *ingemuit totus orbis* (inquit Hieronymus) *et ſe Arrianum miratus eſt.* Et ſanè τὸ ὅμοιον κατὰ τὰς γραφὰς τοῖς ἁπλουστέροις, inquit magnus ille Gregorius, δέλεαρ ἦν τὸ τῆς ἀσεβείας χαλκῷ περικείμενον, ἡ πρὸς πάντας ὁρῶσα τοὺς παριόντας εἰκὼν, ἡ κατὰ πάντα ἄνεμον λίκμησις. Tunc ergo *concurrebant epiſcopi qui eiuſmodi dolis irretiti*, ἀγνοίᾳ quidem vt cum eodem Nazianzeno loquar, οὐ πεσόντες, γράμματι δὲ παραχθέντες, καὶ τοῦ καπνοῦ γε εἰ καὶ μὴ τοῦ πυρὸς μετασχόντες, *ſine conſcientia hæretici ferebantur , conteſtantes corpus Domini* (eam enim ſacramenti formulam multo ante hæc tempora vſurpatam in Eccleſia fuiſſe probat iuſiurandum quod impiè Nouatianum à ſuis exegiſſe ſcribit apud Euſebium Cornelius) *et quicquid in Eccleſia ſanctum eſt, ſe nihil mali in ſua fide ſuſpicatos. Putauimus, aiebant, ſenſum congruere cum verbis, nec in Eccleſia Dei, vbi ſimplicitas, vbi pura confeſſio eſt, aliud in corde , aliud in labiis proferri timuimus.* Et ſane ἀφύλακτον, inquit idem ille Gregorius, ἡ ἁπλότης, καὶ μετὰ τοῦ σαθροῦ τὸ φιλάνθρωπον. καὶ ἥκιστα τὴν κακίαν ὑφορᾶται τὸ κακίας ἐλεύθερον. *Interrogo iſtos* (ſubiungit idem Hieronymus) *nimis religioſos, quid confeſſoribus* (ſic enim locus ille ſcribi debet) *agendum putauerunt ? Ita hac manſuetudine et clementia fides Nicæna reparata atque ſtabilita eſt, et à tribus confeſſoribus Satanæ faucibus mundus ereptus.* Cum quibus etiam Liberium P. R. memorem verborum Domini : *et tu conuerſus confirma fratres tuos*, non ſolum cadenti Petro , ſed etiam ſibi dictorum qui ſedis Petri infirmitatíſque ſucceſſor extiterat, egregiam quoque

que nauasse operam historiæ produnt. Planè quod hîc obtestatur Liberius Episcopos omnes Italiæ Ariminensi perfidia deceptos, vt pestiferum illud dogma condamnent, vehementius in eius auctores insæuiant, quos in se violentos & subdolos experti sunt, totósque se fidei Nicænæ deintegro mancipent, tam pij voti ipsum compotem non multo post factum, cum ex eius epistola quàm exhibet Socrates ad Orientales missa, qua omnes Episcopos Italiæ Ariminensi formulæ Anathema dixisse, Nicenæ fidei subscripsisse, maximóque æstũ in Arrij dogma eiusque discipulos exardescere significat: tum etiam ex ea quæ hîc proxime sequitur Episcoporum Italiæ ad Episcopos Illyrici missa discimus. Hæc autem posterior epistola apparet scripta post synodum Illyricam circa annum Christi CCC LXV. habita qua Nicæna fides in Illyrico vnde vi deiecta fuerat, velut ex Prætoris edicto restituta est. Cuius restitutionis noster Hilarius primum, deinde Eusebius Vercellarum Episcopus ab exilio redeuntes, non leuia fundamenta iecerant. Epistola autem Vrsacij, Valentis, Caij & aliorum Singiduni coactorum ad Germinium Consules adscriptos habet, Gratianum N. P. & Daglaiphum, quos gessisse consulatum salutis anno CCC. LXVI. chronologorum diligentissimi tradunt. Male illos hæreticos habebat vetus illud in se experiri, Cito improborum facta in perniciem cadere, nec ex Ariminensi fraude iam sibi quicquam præter odium publicum, inuidiam ac infamiam superesse; fidem vero Nicænam vbique locorum pristinam auctoritatem dignitatémque recuperare: sed præcipuè angebat Germinij veteris sui sodalis ac cõgerronis indiuidui, sine quo Theseo nihil huc vsque tenta-

uerant, defectio. Is enim cõfessioni Semiarrianæ adhærens, Patri filium per omnia similem dicebat. A qua professione nec Ariminensis fides post vim illatam suscepta dissidebat. Quamuis enim (vt supra dictum est) eas voces *per omnia* non habuerit, satis tamen ipsæ clausula illa *secundum scripturas*, quia Filium Patris imaginem dicunt scripturæ, intelligi atque exprimi censebantur. At Vrsacius, Valens, cæterique de grege illo contra, Filium quidem dici Patri similem, *sed non secundum substantiam*, inquiunt hac epistola, *aut per omnia seu absolute* (ita enim hic locus emendandus est) vel enim subiungunt, *Basilij* Anquiritani Episcopi inter Semiarrianos præcipui, quem Arriani concilio Constantinopolitano deposuerant, cuiusque opinionem deinde Antiocheno damnauerant, *perfida adsertio reparabitur*. Non adeo scelerate igitur, atque impie Germinius, qui hac epistola prouocatus eam suæ fidei professionem conscripsit, quæ inter hæc fragmenta nunc primum vulgata Christum Dei Filium ac Deum agnoscit, diuinitate, caritate, majestate, virtute, claritate, vita, sapientia, scientia, Patri per omnia similem; cuius etiam pleniorem vberioremque interpretationem epistola ad Rufianum, Palladium, Seuerinum missa edidit. Ex qua quidem epistola præterea discimus quænam sit illa fidei formula cui dictandæ Marcus Arethusæ Episcopus *electus est* (sic enim scribendum esse non *eiectum* ex Socrate constat) & quibus auctoribus concepta, quibuscunque auspiciis emissa fuerit. Vereor enim ne frustra sit Socrates, cum fidei regulam à Marco Arethusio scriptam eam asserit quæ contra Photinum in concilio Sirmiensi prouulgata est, & non potius illam quam idem auctor ait vt primum in

eadem ſynodo publicata eſt, velut male natum fœtum ex xij. tab. ſuppreſſam, poſtea Vrſacium & Valentem patribus Arimini congregatis ſubſcribendam obtuliſſe, ſola enim hæc ipſa non tantum ex tribus formulis quas ea ſynodo aiunt emiſſas, verum etiam ex nouem præcipuis quas Socrates (niſus labyrinthum, vt ipſe vocat, formularum fidei extricare, quem tamen magis inuoluit) ab Arrianis publicatas ſpatio nouemdecim annorum enumerat, id eſt ab anno Chriſti CCC XLI. cùm ſynodo Antiochena in Encæniis poſt fidem Nicænam nouam aliam condere primùm auſi ſunt, ad Euſebij & Hipatij conſulatum, quo Ariminenſis conſuta eſt perfidia (adeo eſt τὸ ψεῦδος πολύμορφον) ipſa ſola inquam habet hæc verba: *Filium ſimilem Patri per omnia vt ſanctæ dicunt, & docent ſcripturæ*, quæ extitiſſe in regula fidei à Marco dictata teſtis eſt hac epiſtola Germinius, vnde etiam ab Epiphanio πίστις περὶ τοῦ ὅμοιον εἶναι τὸν υἱὸν τῷ πατρὶ κατὰ πάντα nuncupata eſt. Hæc eadem eſt, vt ex Athanaſio in epiſtola de ſynodis conſtat: quæ contra morem Eccleſiaſticum conſules additos habuit, propter quod patribus Arimini congregatis non magis bilem ob impietatem, quam ob nouitatem riſum mouit. Porro Georgius quem Alexandriæ vocat Epiſcopum, ille eſt genere Cilix, ſi Ammiano credimus, vel Cappadox ſi Athanaſio & cæteris: atque etiam ſi mores eius attendas, planè Cretenſis, ἀεὶ ψεύστης, κακὸν θηρίον, καὶ γαστὴρ ἀργός, vt non peſſimus eſſe nequiuerit in quem τρία κάππα κάκιστα, concurrerint. Iis enim illum depingit coloribus Nazianzenus, qui plane τέρας τὸ Καππαδόκιον, non hominem effigient, nimirum πόνηρον τὸ γένος, πονηρότερον τὴν διάνοιαν, οὐδὲ παντελῶς ἐλεύθερον, ἀλλ' ἐπίμικτον οἷον τὸ τῶν ἡμιόνων, τὰ μὲν πρῶτα

τραπέζης ἀλλοτρίας δοῦλον, καὶ μάζης ὤνιον, qui ex ærarij Constantinopolitani depeculatore, eiúsque criminis reo ac profugo militari manu ψευδεπίσκοπος Alexandrinæ Ecclesiæ cõtra ipsum Athanasium Gregorio pædoni substitutus fuerat. Basilium ne suis quidem probatum extitisse supra diximus. Pelusiorum vero Episcopus, cuius hic nomen obliteratum est, Pancratius à Sozomeno dicitur, inter Arrianorum antesignanos recensitus. Marcus autem ille est Arethusæ Syriæ, non Macedoniæ, vt volunt Centuriatores, Episcopus, qui antea cum Narcisso Neropolis, Mare Chalcedonis, & Theodoro Heracleæ Thraciæ Episcopis ad omnem impietatem proiectissimis, ad Constantem in Gallias post synodum Antiochenam in Encæniis ab Arrianis contra Athanasium missus fuerat, tam hæreseos professione subscriptionéque suppositij Sardicensis decreti infamis, quàm postea confessionis, vel etiam Martyrij gloria (variãt enim in hoc auctores) sub Iuliano clarus ac celebris. Verum, quando quidem qui semel verecundiæ fines transierit, eum bene & nauiter impudentem esse oportet, inquit ille, quid vetat, quemadmodum in indicanda illa fidei regula quæ a Marco Arethusio dictata est, hallucinatos Ecclesiasticæ historiæ scriptores probare tentauimus, num idem iis acciderit in tempore designando quo scriptam & editam produnt disquirere? εἰς Τροίαν πειρώμενοι ἦλθον Ἀχαιοί, ait Theocritus. Nam quod dicunt Sirmij editam valde probo, quod Sirmiensi cõcilio ἐπέχω. Tradunt in ea synodo tres fidei regulas editas: Primam illam contra Photinum, alteram quam dicimus à Marco scriptam: tertiam & vltimam eam quam noster Hilarius Osij, & Potamij blasphemiam vocat. At idem ipso

Hilarius, & Athanaſius qui de ſynodis ex profeſſo ſcripſerunt, quorumque auctoritatem nemo ſanus defugere, atque etiam non præponere cuiuis alij in ea re poteſt, in qua primas egerunt, duarum tantum, primæ ſcilicet & vltimæ Sirmienſi concilio ſcriptarũ meminere. Quin etiam hic diſertis verbis poſt illam Oſij blaſphemiam conſcriptam fuiſſe fidei regulam quæ conſules habet, quam a Marco dictatam probauimus, tradit. Cum enim ipſam Oſij formulam ſuo de ſynodis operi inſeruiſſet, continuo iſta ſubiecit; *Hæc vbi miſiſſent, denuo mutata ſententia compoſuerunt eam fidem, quam quia cum Conſulibus edidiſſent, multo pudore & probro confuſi ſunt, eiuſque exemplaria curauere vt cum ſuo more ſententiam mutaſſent, ab ijs qui ea tenebant per notarium Martianum ſubriperentur, et perſuaſo Conſtantio vt contra eam fidem edicta promulgaret, aliam rurſum fidem conſtituerunt, additiſque vt ſolent quibuſdam dictis. Iſauriæ igitur iſta conſcripſerunt, &c.* Ex iſtis Athanaſij verbis duo illa conficiuntur: Alterum, fidem illam Oſij, quæ Filium Patre minorem, ac plane diſſimilem aſſerit, velut vltimam concilij Sirmiẽſis definitionem ac ſententiam habitam fuiſſe, atque eo nomine ad Eccleſias pro more tranſmiſſam à ſynodo: quod etiam Hilarius initio libri de ſynodis perſpicuum his verbis facit. *Gratulatus ſum* (inquit) *in domino incontaminatos vos, & illæſos ab omni contagio deteſtandæ hæreſeos perſtitiſſe, et miſſam proxime vobis ex Sirmienſi oppido infidelis fidei impietatem non modo non ſuſcepiſſe: ſed nuntiatam, & ſignificatam damnaſſe.* Ita igitur non ſolum miſſam, ſed etiam auctoritate publica prouulgatam, atque indictam populis vt in eam iurarent apparet. Alterum, fidem quę Conſules adſcriptos habuit, poſt Sirmienſe

concilium, nec multo ante Seleucienſem ſynodum cõpoſitam ac vulgatam. Verum ſi ea fides quæ Patri filium per omnia ſimilem profitetur, a Marco ſcripta diem & conſulem quibus edita eſt Sirmij habet: vnde certius tempus promulgationis eius, quam a conſulibus quibus edita dicitur, repeti poteſt? De ea autem ſic Theodoretus. *Quin etiam abſurdum putabant vt huic formulæ talis præponeretur titulus, qualem habuit cum Sirmij edita eſt præſente Conſtantio æterno magno Auguſto, Euſebio & Hypatio coſſ. quemadmodum Athanaſius quoque ſcribit.* Hæc Theodoretus. Nec aliter Socrates, a quo tamen cœptus, & ſumptus error. Quid ipſe Athanaſius? *Poſtquam* (inquit) *diuiſio facta eſt: & alij Seleuciam cognomento Aſperam abyſſent, alij Ariminum ſe contuliſſent, vbi fuere quinquaginta & eo plures Epiſcopi* (error eſt in numero, ſed de eo nunc nõ laboramus) *venit etiam ad em locũ Germinius, Auxentius, Valens, Vrſacius, Demophilus, Caius. Ibi cum cæteri Epiſcopi ex ſacris literis verba ſua formarent, illi chartulam exhibuerunt, recitatiſque Conſulibus quibus ſcripta erat, poſtulabant, vt ea omnibus ſynodis anteponeretur. Omiſſa enim de hæreticis quæſtione, nulláque habita percunctatione quo animo aut qua ſententia eſſent, ſcriptis chartulæ ſolummodo contentos eſſe debere. Scripta autem eorum eiuſmodi fuere. Edita eſt catholica fides in præſentia D. N. Religioſiſſimi præclarique victoris Imperatoris Conſtantij Auguſti æterni coſſ. V. V. C. C Euſebio & Hypatio Sirmij* (ita enim legendum ex Socrate & Theodoreto ante nos alij docuerunt) xj. *cal. Iunias. Credimus in vnũ, &c.* Si cum Sirmij edita eſt præſente Conſtantio xj. cal Iun. Conſules habuit Euſebium & Hypatium præfixos, qui potuit edi Sirmienſi concilio, quod qui minus,

triennio añte istos consules fuisse coactum asseuerant? Cui non igitur tot testimoniis constet nisi qui meridie lucere neget, illam fidem quæ Patri filium per omnia similem profitebatur, Eusebio demum & Hypatio consulibus Sirmij quidem, sed longe post Sirmiense concilium compositam fuisse, nec multo post quam scripta est, Ariminensibus patribus oblatam? Vt autem quid de ea re mihi venit in mentem, in medium proferam: Certum est Imperatorem Constantium omnem mouisse lapidem, quo dissidentes in religione opiniones componeret: verum dum se facilis nimis hæreticis præbẽs, quæ Dei sunt Cæsar ipse tractare audet, in simplici & absoluta religione, inquit Ammianus, scrutanda perplexior, quam componenda grauior, ipsa aluit, adauxítque dissidia. Quibus vt remedium tandem aliquod adhiberet, œcumenicam Synodum cogere decreuit. Litteris igitur ad Basilium Anquiritanum Episcopum missis, Orientales Episcopos iubet vt locum celebrandæ synodo aptum & commodum perspicerent. Verum cum inter eos cõuenire non posset, aliis alium præferentibus, Basilius ad Imperatorem, qui tum Sirmij forte degebat, profectus est, ibíque cum alios quosdam priuatis negotiis in comitatu detentos, tum Marcum Arethusium, Georgium Alexandriæ Episcopum & Valentem cum suis offendit. Tunc igitur illi Arrianorum coryphæi inter se quo pacto fidem Nicænam subuerterent capita conferẽtes, ab Imperatore impetrant vt synodus vniuersalis Nicææ Bithyniæ indicta, proptérque eius vrbis cladem terræ motu acceptam dilata diuideretur, Orientalésque Episcopos Seleuciam Isauriæ, Occidentales vero Ariminum conuocari procurant. Hunc episcoporum Arriano-

rum in comitatu congressum Eusebio & Hypatio consulibus contigisse, id est, eo ipso anno quo illæ synodi actæ sunt, nemo in dubium reuocabit qui huius narrationis auctorem Sozomenum legerit, quo anno Constantium hybernasse Sirmij, meliorémque eius anni partem ibi transegisse cum Ammianus ipse testis est, tum etiam plurimæ leges iis consulibus editæ sua subscriptione probant. In eo congressu quæstionem istam coram Imperatore agitatam de fide quàm recitat hac epistola Germinus, fidémque compositam, cui dictandæ Marcus electus est, vt conijciam multa faciunt. Primum, Personæ: Iidem nempe Episcopi inter quos de fide quæsitum, in hac recensentur epistola, qui a Sozomeno in comitatu fuisse memorantur: Deinde fortuita vtrobíque occasio: non enim hîc ait Germinius istos Episcopos conuocatos vt de fide disputarent: sed orta disputatione coram Imperatore, atque in multam noctem protracta, ad eam formulam tandem esse deductos. Denique locus, & tempus: Sirmij enim ipsam fidem quæ Patri Filium per omnia similem dicit, Eusebio & Hypatio coss. scriptam docuimus. Nec ad aliam fidem quæ apud Epiphanium leguntur hæresi LXXIII. de fide περὶ τοῦ ὅμοιον εἶναι τὸν υἱὸν τῷ πατρὶ κατὰ πάντα, referri posse arbitror, cui sub scribens ipse Valens cum in subscriptione Filium Patri similem repetiisset, duásque illas voculas *per omnia* subticuisset, eas ab Imperatore Constantio quo præsente res agebatur, coactus est addere Idem enim ipse Valens subscripsisse se ei testatum voluit, τῇ νυκτὶ ἐπιφωσκούσης τῆς πεντεκόστης: subdítque Epiphanius, Valentem statim atque a se subscripta est, correptam eam fidem Ariminum secum ad synodum detulisse.

lisse. Scripta est ergo ea fides quæ per omnia Filium similem Patri asserit, eo tempore quo synodus Ariminensis acta est, id est Eusebio & Hypatio coss. in vigilia pentecostes, id est xj. cal. Iun. Siquidem iis coss. qui Christi CCCLIX. annus est, luna xiiij. in iv. cal. Apr. incidente, veneranda Resurrectionis dominicæ dies prid. No. eiusdem mensis, missionis sancti spiritus x. cal. Iun. littera C. diei Dominicæ nota, si tunc vsu recepta extitisset, celebratæ sunt. Videtur ergo, vt tota hæc concludatur disputatio, fides quæ Filium Patri per omnia similem profitetur, scripta Sirmij, non habita disquisitione in celebri Episcoporum concilio, sed in fortuito paucorum congressu coram Imperatore disputatione orta, non in aliqua Basilica aut publico loco in quo solerent synodi haberi, sed in priuato Imperatoris cubiculo; non Sergio & Nigriano, vel Constantio ix. & Iuliano ii. consulibus, quo tempore Sirmiensis synodus habita dicitur, sed xi. calend. Iun. Eusebio & Hypatio coss. quo etiam die idem ipse Imperator Sirmio leges xiiij. & xv. de Præt. & Quæst. Cod. Th. ad Senatum misit. Quare non mirum est si Athanasius eorum qui eiusmodi fidem scripserunt temeritatem exagitet: *qui cum non nisi tres aut quatuor* (inquit) *essent*, in quo quidem rem extenuat: septem enim vel octo aderant. *ausi sunt tamen regulæ fidei consules addere, quod trecenti & octodecim patres Nicæni non fecerant*. Sed hæc fortasse fusius quam epistolæ vel præfationis modus patiatur: reliqua nobis breuiter percurrenda sunt. Epistolæ Liberij P. R. quę huic Germinij subiunctę sunt, cum præcedentibus nec argumento, nec tempore connectuntur; ad quam tamen Arrianorum historiæ partem spectent, quia exactissimis illis Ecclesia-

sticis Annalibus intextæ sunt, si dicere supersedeo, temporis & chartæ compendium fecero. Hoc vnum addere sufficiet ex verbis Hilarij quę Liberij epistolę ad Orientales Episcopos ad texta sunt, videri regulam fidei quam Sirmio a synodo ad ecclesias missam supra diximus, ab eodem Liberio tædio exilij desiderióque sedis suæ præfracto, quemadmodum a cæteris qui Imperatoris Constantij violentiæ cesserant, subscriptione probatam fuisse: vt non omnino vanus extiterit rumor, quem Arrianos disseminasse Sozomenus scriptum reliquit, Pont. R. in opinionem Anomœanorum defecisse. Quo nomine noster Hilarius æstu fidei abreptus ipsi Liberio velut apostatę ac præuaricatori Anathama impingit. Et sanè non alia potuit esse illa fides quam Narcissus, Theodorus, Eudoxius, Demophilus, & cetæri illi temeritate atque perfidia inter Arrianos conspicui, vt infra videbimus, dictauerint. Hinc etiam discimus cuius sint auctoris, & quo pertineant nomina illa hæreticorum quę huic Liberij ad orientales Epistolæ subnexa esse in suo codice nobilissimus Annalium scriptor notauit: vt & illa verba in calce sequentis eiusdem pontificis Epistolæ ad Vrsacium, Valentem & Germinium. *Præuaricatori Anathema cum Arrianis a me dictum.* Superest vltima huius collectionis Epistola ad legatos Ariminensis concilij, ipsa autem est Semiarrianorum Episcoporum, & maiore ex parte Palestinorum contra Ætium cognomento Impium atque Atheum. Arriani enim & si nunquam ipsis inter se bene conuenerit (qui mos omnium hæreticorum est, nisi in eo vt Ecclesiam Christi oppugnent) succedente tamen ex animi sententia Ariminensis perfidiæ dolo, confectum sibi cum catholicis negotium arbitra-

ti, multo apertius opinionibus, animis, nominibúsque diuisi acrius inter se digladiari cœperunt. Hinc factionum sectarúmque *Nomina mille, Mille nocendi*, artifices, *plura nomina* (inquit Ambrosius) *sed vna perfidia; infirmitate non dissonans, communione discordans: non dissimilis fraude, sed cogitatione discreta.* Et hæc quidem de iis quæ hîc sub nomine libri B. Hilarij de Ariminensi concilio edita continentur. Cætera quæ alteram veluti collectionem facere videntur, quamuis in codice manuscripto, ex quo ista transcripta sunt, illis quæ explicuimus præposita legantur, ex eodem tamen B. Hilarij opere excerpta esse, vel hinc coniicere licet, quod verba auctoris vnde sumpta sunt, aliquot locis ipsis actis immixta, eiusdem sanctissimi confessoris phrasin exhibeant & omnia fere ad synodum Ariminensem, de qua præcipue in eo ipso tractabatur opere, spectent. In quibus tamen digerendis non exactior ordo rerum, vel temporis, quam in superioribus obseruatus est. Porrò fidem illam quæ apud Fariseam ciuitatem exposita dicitur, Lutetiæ Parisiorum scriptam fuisse arbitror, atque in eius epigraphe, *apud Parisiam ciuitatem* legi debere coniicio. Iam enim tunc obsoleta fère Lutetiæ appellatione hoc nomen illa ciuitas audiebat. Zosimus ea ætate non multo inferior de Iuliano loquens Lutetię hiemante, sic scribit, Ἰουλιανοῦ δὲ ἐν τῷ παρισίῳ, γερμανίας δὲ αὕτη πολίχνη, διαχειμάζοντος, Quamuis enim eius vrbis tunc non ea fuerit amplitudo, vel nominis claritas in quam postea regum Christianissimorum frequentatione studiorumque celebritate euecta est; imo vero πολίχνην, & ab Ammiano castellum ambitu insulari circumclusum tantum dici videamus, vt quæ insulę fluuij Sequanæ ambitu compre-

hensa, & vtrinque sublicijs pontibus cōtinenti iuncta, vix mediam partem eius regionis complecteretur, quę ciuitatis nomen sibi peculiare fecit: cœli tamen temperie, quod etiam ficus aleret, fluuijque placidissimi nitidissimíque amœnitate adeo grata & commoda Iuliano in Gallis agenti visa est, vt ibi libentissime hyberna duxerit, & Imperator ab exercitu in ea salutatus, postea festiuissimo ad Antiochenses scripto φιλτάτην πολίχνην vocitarit, elegantiamque sui ingenij in ipsa describenda ostentare voluerit. Et sane longe ante, Iulio Cæsari concilio Galliarum indicto locus ille huic habendo visus fuerat idoneus, Lutetiamque Parisiorum concilium transtulerat. Vbi vbi hæc habita fuerit synodus, non dubium est vnam ex illis esse quas ipse Hilarius Constantij Imperatoris paulo ante quam ex viuis decederet, edicto ad Episcopatum redire permissus, *vbi permensus est*, inquit Seuerus, *orbem pæne terrarum malo perfidiæ infectum*, *vir natura lenis & placidus, simul ad persuadendum aptus*, quo elogio ipsum ornauit Rufinus, *optimum factu arbitratus reuocare cunctos ad pœnitentiam frequentes in Gallia coëgit. Quibus effectum est vt omnibus Episcopis de errore profitentibus apud Ariminum gesta damnarent, pristinamque Ecclesiis fidem restituerent.* His etiam & Victurinum Parisiensem Episcopum, quem synodo Sardicensi interfuisse testis est Athanasius, & Aggripinensem contra Euphratem delegasse, ipsius Agrippinensis concilij acta probant, si ad hæc tempora peruenit, symbolam suam contulisse verisimile est. Ad eas synodos Hieronymus in Eusebiano chronico respicit, cum ad annum vitæ Constantij extremum (nam qui eo chronico notati habentur Christi anni, nec Eusebij nec Hieronymi sunt) Gal-

liam *per Hilarium Ariminensis perfidiæ dolum* (sic enim legunt veteres libri) damnasse notat, quod & hac fidei formula prestitum videmus. Quamuis non nisi defuncto Constantio, rerumque potiente Iuliano, illę synodi celebratę fuerint, id est circa annum Christi CCCLXII. Epistola autem Eusebij Vercellarũ Episcopi ad Gregorium Eliberi ciuitatis Hispaniæ antistitem, licet Constantio Imperatore adhuc in viuis agente (ipsum enim intelligit cum spem Arriomanitarũ, *non in sua vi aut vnito consensu* : sic enim hic locus emendandus videtur: *sed in protectione regis sæcularis pendere* dicit, quippe qui vt Athanasij verbis vtar, *suas spes humi & inferne haberent, in Cæsare nimirum & in eius Eunuchis*) post Osij tamen præuaricationem, atque etiam Ariminense concilium scripta est. In qua tamen obseruatione dignum est sermonem haberi de Osio velut adhuc viuente, & cui non multo ante pro Arrianis aliquid molieti Gregorius animosè & intrepidè restiterit. Quodsi est, ad annum Cõstantij XXIV. qui Christi lx. est post trecentissimum, Osium peruenisse necesse est, quo anno missam hanc epistolam ipsumque Osium paulo post è viuis sublatum oportuit: quando quidem Athanasius oratione prima contra Arrianos anno post Nicænam Synodum trigesimo sexto, id est anno Christi CCCLXI. habita, Osij vt vita functi meminit. Hinc fortasse Marcellino cæterisque Luciferianis oblata occasio est (vt mos est hæreticis quæ suo fato accidunt interpolando, verbisque in maius tollendo quia veris destituuntur, in ficta miracula trahere) horrendæ illius tragœdiæ de eius morte diris eiusdem Gregorij accersita confingendæ; cuius falsitatem vel hic vnus locus detegit. Nam si in ea contentio-

ne Osius adeò misere animam proiecisset, tam mirandum, miserandumque maximi viri interitum, tamque præsentem diuini numinis vindictam haud ita leui pede Eusebius in hac Epistola transegisset: Formulam autem fidei à Germinio conceptã, quæ proxime hanc epistolã sequitur, multo posteriorem esse ea epistola ex ijs quæ supra diximus, cum de epistola Valẽtis, Vrsacij, aliorumque ad Germinium disseruimus, quæ huic causam dedit, clarum est. Plane hæc Germinij formula conformis est regulæ fidei cum consulibus editæ, quæ Patri similem per omnia Filium dicebat, & velut ex diametro opposita Sirmiensis concilii infidelis fidei, vt eam vocat noster Hilarius, impietatem quæ Patrem honore, dignitate, claritate, maiestate, Filio maiorem definiebat. Quæ sequitur Sardicensis concilij ad Gregorium Episcopum Alexandriæ cæterosque epistola, præcedentibus multo prior est, & argumento penitus diuersa. Continet enim decretum Sardicensis concilij nomine ab Arrianis confictum, cuius Socrates meminit, Sozomenus etiam suę historiæ summam intexuit, vltimum sane hæreticę temeritatis ac audacię exemplum. Illi namque se patribus anno Christi CCCXLVII. Sardicę congregatis vt sisterent pręsente Athanasio, quem impudenter adeo criminati calumniatique fuerant, satis firmam frontem non habentes, Philippopoli, quę Thracię est vrbs, coacti, hoc quod in manu est decretum sub nomine patrum Sardicę collectorum, quorum fama iam per populos peruagata fuerat, commenti sunt: quod non solum Athanasium velut grauium scelerum conuictum, deposuerunt, verum etiam Iulium P. R. Osium, Protogenem Gaudentium, & Maximinum fidei Nicenę columina de gradu

communionéque ecclesiastica dimotos iudicarunt. Nec contenti in tantos viros iniurii extitisse, nisi etiam, vt cum Propheta loquar, molesti essent & Deo nostro, ipsum Christum de Patris dextra, id est, τῆς ὁμοίας καὶ ὁμοιουσίας gradu noua fidei formula cõscripta, in qua οὐσίας καὶ ὁμουσίου voces pretermiserũt, deturbare nisi sunt. Mirum tamen est, vel nostrũ Hilarium eam ipsam fidei regulam pro legitima synodi Sardicẽsis suo operi de synodis inseruisse ac velut Catholicam exposuisse, vel ipsum Athanasium in epistola de Ariminensi & Seleuciæ synodis, & post eum Socratem nouem & verbis & sensu diuersis Arrianorum recensitis formulis, hanc decimã non addidisse. Idem enim ipse Athanasius non vno loco testis est locupletissimus, certis hominibus nonnulla quasi quæ deessent Nicęnæ formulæ adscribere volẽtibus, Sardicenses patres se contentos Nicæna fide respondisse, decretoque sanxisse, ne quid vlterius scriberetur, *ne illis quibus libido erat semper noua statuere, occasio eiusmodi suppeteret, vt iterum atque iterum noua de fide definirent.* Quo certe manifesti erroris cõuincitur Sozomenus, cũ scribit, Catholicos patres Sardicæ fidei formulam edidisse, sensu quidem cum Nicęna eandem, pluribus tamen verbis conceptam: cuius nomine Osius & Protogenes apud Iulium P. R. sese excusarint. Plane videtur noster Hilarius in eo de synodis libro, non solum formula Pseudo sardicensi, sed nec Antiochena in Encænijs, nec sirmiensi contra Photinum, quas tres Semiarriani in synodo Antiquiritana maxime probarunt, ita minime offensus, vt eas exposuerit, & his verbis excusare conatus sit. *Nihil mirum*, ait, *vobis videri debet, fratres carissimi, quod tam frequenter exponi fides cœptæ sũt.*

necessitatem hanc furor hæreticus imponit, & paulo post, *sed necessitas consuetudinem intulit exponi fides & expositis subscribi, vbi enim sensus conscientiæ periclitatur, illic litera postulatur: nec sane scribi impedit quod salutare est confiteri.* Postea tamen experientia doctus non solum Camarinam non mouendam, vt in prouerbio est, sed multo minus quæ à patribus recte statuta sunt, vllo aliquo prætextu conuellenda, quamque periculosum ac miserabile esset, *diuersas fides haberi, quæ dum plures fiunt*, vt idem ipse ait, *id incipiunt esse ne vlla sit*, in libro ad Constantium omnes præter Nicænam vno elogio damnauit, *Nam etiam si his*, inquit, *nihil vitiosum subiacere affirmetur, non tamen causa religiosæ voluntatis inest, quia mali meditatio est.* Porro nemini dubium est, præclaros illos nouæ fidei architectores Synodicam hanc Epistolam iis maxime inscripsisse Episcopis, quibus facile imponere, vel eiusmodi imposturam non ingratam fore sperabant. Inter quos optimo iure familiam ducit Gregorius ille Cappadox Alexandrinæ Ecclesię prędo, qui longe ante propter hęresim Arrianam Ecclesiæ communione submotus, Sardicensi etiam concilio ne pro Christiano quidem haberi iussus, non multo post ab Alexandrinis tumultu populari occisus, conuenientem effrenatæ suæ violentiæ finem sortitus est. Nec multo sanctior Donatus, qui Carthaginis Episcopus nominatur. Ille enim est Donatus qui Maiorino succedens, perniciosissimam sectam in Africa diu altare contra altare Dei Carthagine erigens aluit ac fouit: eóque superbiæ, ac vesaniæ euectus est, vt veluti Pythagoreos aiunt per pręceptorem solitos, ita suos per se ipsum iurare tanquam per Deum, eosdemque ipsos se partis Donati vel Donatistas pro Christianis

stianis nuncupare permiserit: ac ipse etiam nominarit. Arrianæ etiam opinioni congruentem librum scripsisse testis est Hieronymus. Inter hos duos tamen insignes hæreticos, Amphionem eximium Christi confessorem, canicie, vitæque sanctitate venerandum, ad exẽplum Magistri cum iniquis deputatum agnoscimus. Siquidem is est Amphion Epiphaniæ Ciliciæ primum Episcopus, qui ante fere quadraginta annos Christum sub Maximino intrepide professus, deinde in Nicæna synodo deposito propter hæresim Eusebio Nicomedię Episcopo, in eius locum suffectus fuerat. Eius meritum est vt testimonium sanctitatis Apostolicæ, ac confessionis ab Athanasio ei in oratione prima contra Arrianos perhibitum, a doctissimo interprete tamen vitio codicis Græci quo vsus est, corruptum restituamus. Siquidem quo loco in ea oratione catholicos monet vt formulas fidei Vrsacij, Valentis, Demophili, Germinij, cæterorumque eius farinæ hominum licet verbis ex sacra scriptura desumptis scriptas, nihilo magis tamen admittant, quam Christus Diabolum ex iisdem scripturis loquentem, *quia impiorum sermones dolosi sunt*: lumina Ecclesiæ sui sæculi recensẽs, & Apostolicos viros in quorum scriptis nihil mali suspicari licet, hæc verba Latina versio exhibet, *vel Lupi & Appiani Ciliciæ*, Græcus codex manu scriptus sic legit, ἢ λούπου καὶ ἀμφίωνος τοῦ ὁμολογητοῦ καὶ ἐπισκόπου τῆς κιλικίας, vtrumque enim vocabatur, & Ciliciæ, & Nicomediæ Episcopus. Nec est quod quis suspicetur illum a recta fide post hęc deflexisse. nam in Catholica pace perseuerasse testis est Ecclesia, quę natalem eius prid. Id. Iunias celebrat. Quare sceleratis istis immixtum coniicere est, vt vir virtutis fama celebris apud

omnes & clarus, tenebrionibus illis sanctitatis, aliquam opinionem conciliaret. Mirum tamen est, cum B. Augustinus Donatistis ex hoc decreto fucum facere, & se pro Catholicis à Sardicensi concilio agnitos probare nitentibus, non satis huius fraudis gnarus contra Cresconium non vno loco excipiat, nomina ciuitatum, quarum Episcopi dicebantur, ad posita non fuisse vnde constaret Donatum, cuius nomen in hac synodali epistola ostentabant, illum fuisse qui se pro Carthaginensi Episcopo gesserat: plus etiam addat, nec moris esse Ecclesiastici, quando Episcopi Episcopis scribunt, nomen ciuitatis adiungere, vnde huc illa ciuitatum nomina irrepserint, nisi fortasse a Donatistis sunt addita, huius enim rei videtur suspicionem iniicere ipse Augustinus cum scribit: *Miror nescio quis iste Donatus si non in vestris litteris Carthaginensis factus est.* Nimis longum esset in omnes qui huic epistolę subscripserunt inquirere, nec fortasse operę pretium. Plane ab hęreticis scriptam esse Menophantus ab Epheso, Acacius a Cęsarea, Theodorus ab Heraclea, Marcus ab Arethusa (operarum enim erratum est quod hic ab Aretijs legitur) Eudoxius à Germanicia, Narcissus ab Neropoli, vel Irenopoli (vtrumque nomen enim audiebat) Demophilus a Beroea, & qui claudit agmen Valens a Mursa velut Mysorum vltimus, celebres Athanasij, Hilarii, Epiphanii, auctorumque Ecclesiasticę historiæ testimoniis, Arrianorum antesignani ac duces, inter eos qui huic decreto subscripserunt recensiti fidem faciunt. Et hęc quidem de suppositio illo decreto nimis fortasse multa. Quę superant licet plęraque omnia, si Liberij P. R. epistolam ad Constantium anno Salutis CCCLI. per Luciferum Calaritanum Episco-

pum, Pancratiũ Presbyterum (si quidem corruptè apud Athanasium in epistola ad solitariam vitam agentes Euprotius nominatur) & Hilarium diaconum Romanos missam excipias, ad Ariminensem pertineant synodum, perturbata nihilominus inter se, nec vllo digesta ordine existunt. De Liberii epistola qui plura desiderat, nũquam satis laudatos illos Annales consulat, ibi enim vnde suam sitim extinguat vberrime inueniet. Cætera fere omnia nunc primum in lucem eduntur. Quonam autem disponenda sint ordine, rei gestę narratione perspicuum fiet. Diximus supra fidem Sirmij Consulibus additis coram Imperatore scriptam, quæ Filium Patri per omnia similem continebat, factionibus Arrianorum procuratam, ac scriptam fuisse, indictamque synodum vniuersalem Nicææ Bithyniæ diuisam, & Orientalibus Seleuciam Isauriæ Occidentalibus vero Episcopis Ariminum quo conuenirent dictas. Cui fini nisi vt fallerent ac circumuenirent? Certi enim quantum sua factione in Oriente pollerent, veteratoriam & captiosam illam fidei regulam Orientalibus Episcopis facile approbaturos se pro comperto habentes, Occidentales coactos tãdem fore ei subscribere crediderunt quam Oriens probasset, & Imperator inexorabilis (vt eum Ammianus describit) suæ auctoritatis vindex sanxisset. Et sane testis est noster Hilarius absque Episcopo Eleusio (is erat Cyzici Episcopus) & paucis cum eo, ex maiori parte Asianas decem prouincias intra quas consistebat, verum Deum nescisse. *Atque vtinam*, subiungit ille, *Deum nescirent, cum procliuiore enim venia ignorarent quam obtrectarent. Sed horum Episcoporum dolor se intra silentium non continens, vnitatem fidei huius quærit quam iamdudum per alios amisit.*

Scripta itaque ea fide, diuisáque synodo vniuersali rescriptum ad vtramque synodum ab Imperatore impetrant Arriani, quo primum de fide cognoscere, deinde causas Episcoporum, mutuásque inter sese digladiationes ac criminationes discutere collecti patres iubentur, rebúsque iudicatis ac decisis decem legatos rationem eorum quæ gesta essent reddituros ad comitatum delegare; alterum etiam ad patres Arimini congregatos, quo de Orientalibus Episcopis cognitio iis interdicitur, iterumque de decem mittendis ad comitatum legatis admonentur. Prioris rescripti Sozomenus meminit, posterius hic vi. cal. Iunias, id est quinto post illam fidem conscriptam die, missum habetur. Tunc igitur his scriptis subsarcinati Valens, Vrsacius & Germinius Ariminum magnis itineribus contendentes cum Auxentio genere Cappadoce potius delatore quam Christiano, inquit Athanasius (is ab Imperatore licet Latinæ linguæ penitus expers esset, militari manu in Mediolanensem sedem, relegato propter pietatem Dionysio, intrusus fuerat) Caio, & aliis quos sibi fauentes in ea synodo reperiere postulant, quod supra ex Athanasio diximus, vt huic suæ formulæ absque vlla causæ cognitione & tantum non cæcis oculis omnes subscribant. Verum non solum propter Consules regulæ appositos derisi, sed etiam propter impietatem latentémque, *vapido sub pectore vulpem*, hæretici renunciati ex ipsa synodo expulsi sunt. Ergo xii. cal. Augusti quæ proximæ secutæ sunt, totius synodi concordi sententia Nicænæ regulæ nec addi quicquam posse, nec minui decernitur, Vrsaciúsque Valens, Caius & Germinius, quibus Athanasius Auxẽtium & Demophilum adiungit, velut ecclesiasticæ pa-

cis perturbatores ac hæretici de gradu ſuo & fidelium communione deturbantur, decémque legati ad Imperatorem miſſi per quos hæc concilij definitio innoteſceret. *& hæc quidem Arimini acta celeriter* (ſcribit Athanaſius) *iſtiuſmodi finem habuere.* Eam concilii ſententiam ampliorem & integriorem quam apud antiquos auctores exſtet, adiectis duobus eiuſdem ſynodi fragmentis, hæc collectio exhibet. Nec tamen ipſi Arriani ea ſentẽtia percuſſi animos deponunt, aut ab inceptis deſiſtunt, ſed & ipſi decem ex ſuis (in quorum numero condamnati illi exſtiterunt) ad Imperatorem delegarunt, qui Concilij legatos celeritate præuertentes, ipſum Imperatorem aduerſus ſynodum adeo concitarunt, vt ipſos rectæ fidei legatos in ſuum conſpectum venire non ſuſtinuerit: ſed primum Hadrianopoli, deinde Nicææ Thraciæ variis dilationibus deluſos, ea ſpe detinuerit, quod crederet (infit Theodoritus) Epiſcopos Arimini legatorum ſuorum reditum expectantes, partim ſenio, partim inopia preſſos, omnes diuturnioris a propriis ſedibus abſentiæ pertæſos, reditus deſiderio ad fidei propoſitæ ſubſcriptionem flecti poſſe. Quinetiam Vrſacio facultatem tradidit de fide pro arbitratu ſtatuendi, qua accepta ſtrenuum illum Plautinæ familię ducem compreſſis, vt aiunt, manibus non ſediſſe nemo eſt cui non ſtatim in mentem veniat. Tunc ergo tanta auctoritate ſubnixi Arriani deriſam illam ſuam fidem interpolare potius, quem emendare cupientes, quod ſupra aliud agentes retulimus, exemplaria eius vndíque conquiri & corrogari per Martianum notarium curarunt, detractíſque Conſulibus, velut fures alienis poculis anſas auferre ſolent, paucíſque voculis commutatis, eandem

perfidiam, imo etiam deteriorem, bonos illos legatos qua vi, qua fraude non solum sua subscriptione confirmare, sed etiam ipsius concilij (cuius personam sustentabant) damnata verbis disertis sententia, cum Vrsacio, Valente, cæterisque abdicatis communionem inire compulerunt, fidémque illam sic interpolatam, quo simplicioribus similitudine nominis imponerent, Nicænam fidem nuncuparunt. Et certe qui fidem illam quam Ariminenses patres subscriptionibus suis approbare compulsi sunt, vt apud Athanasium, atque Hieronymum exstat, contenderit cum illa quæ Consules habuit, perfidiorem in eo sentiet, quod duo illa vocabula, *per omnia*, quæ Valens inuitus admiserat, in ista subtracta sunt, cætera penitus similem. Athanasius eiusmodi interpolationem concilio Constantinopolitano, quod post Seleuciense Accaciani coëgerunt, tribuit. Quod si est, non video quomodo aeræ inter se non discrepent. Fragmentum enim Nicæni conuenticuli quod hîc editur, actum fuisse illud conuenticulum vi. Idus Octobris, iisdem Eusebio & Hypatio Consulibus indicat (nisi fortasse in temporis designatione mendum obrepserit, legíque vi. Idus Nouembris debeat) Seleuciense vero concilium quinto cal. Octobris incœptum locupletissimi sunt testes Athanasius, & apud Socratem Sabinus. Non fert autem locorum distantia, vel negotij conditio, vt qui Seleuciæ Isauriæ v. cal. Oct. fuerint, intra vi. Idus eiusdem mensis Constantinopoli concilium habuerint, ac perfecerint. Quinam autem illi Ariminensis Concilii ad Imperatorem legati, vel cuius in Ecclesia gradus, aut dignitatis extiterint non facile est ex historiis deprehendere, cum vix nuda eorum no-

mina teneamus. Solus Restitutus Carthaginensis Episcopus refertur, qui tamen & ipse antiquis auctoribus ignobilis. Nam præter Gratum, quem Sardicensi concilio adstitisse, primúmque quod Isidorus Mercator vocat Carthaginense concilium coëgisse, ex eorumdem conciliorum actis & Athanasio didicimus; & Genetlium, cui successit circa annum Christi CCCXC. Aurelius, nullius alterius Episcopi qui circa hæc tempora Carthagine sederit, exstat memoria. Quinetiam ipsius Genetlij pæne ex scriptorum vitio nomen obliteratum est ex secundo eiusdem vrbis concilio, quod eius ductu tamen & auspiciis est gestum; vt non absque ratione quãdo illud habitum fuerit, & a quo maximi viri quærant, quo negotio si ex veteribus libris eos expedierimus, auctori suo illud ipsum asserentes operam fortasse hoc exodio non luserimus. Tria sunt autem propter quæ illud cõcilium controuertitur. Primum quia celebratum dicitur Valentiniano iiij. & Theodosio coss. cum tamen Valentinianus senior cum Theodosio imperij collega consulatũ gessisse nusquam legatur. alterum quod in eo Genetlij nomen non habeatur: tertium ac postremum quod Aurelius Episcopus, qui Genetlio successit, ei præfuisse appareat. Verum notat Isidorus, hoc concilium celebratum fuisse æra CCCCXXVIII. hæc autem æra in annum Christi CCCXC. incidit, cui anno Valentinianum iiij. & Neoterium non Theodosium Coss. fasti assignant. Pro Theodosio igitur Neoterium substituendum esse nemo est qui non videat. Genetlij autem nomen veteres libri omnibus locis habent, in quibus coalescente littera t. cum. l. *Genedium* editi exhibent. Et canone ij. huius concilij quo loci habetur,

Aurelius Episcopus dixit, iidem libri legunt, *Epigonius Episcopus Bullensis Regiorum dixit*. Quinto item & vi. Canone pro Aurelio Genetlium scribunt. quibus emẽdatis nihil superest vnde eius cõtrouersia moueri queat. His etiam adstipulatur Fulgentius Ferrandus Carthaginensis Diaconus cuius Breuiarij canonum c. CXCIIII. hæc verba sunt, *vt qui aliquibus sceleribus irretitus est, vocem accusandi non habeat*, Concil. *Carth. sub sancto Genetlio tit. vj.* quod in hoc de quo agimus concilio canone vj. exstat, sed hæc hactenus. Soli ergo Gratus, vt vnde disgressi sumus reuertamur, & Genetlius iste Carthaginensis Episcopi circa concilij Ariminensis tempus a scriptoribus memorantur. Athanasius in Epistola ad Episcopos Africæ ex eorum Episcoporum numero plures Ariminensi concilio interfuisse tacitis tamen nominibus prodidit. Hieronymus contra Luciferianos Musonium Bizacenæ prouinciæ antistitem nominat, cui primas in ea synodo propter ætatem ab omnibus delatas scribit. Corruptum enim est quod omnes editiones legunt, *Bizantinæ prouinciæ*, non enim quemadmodum Græci ita & Latini ea vocabula vsquam confundunt. Bizacena vero eius Africæ quæ Occidentali Imperio tributa fuit, prouincia est, Plinio, Geographisque eximia fertilitate cum centena fruge agricolis fœnus reddente nobilis, cuius & in conciliis Africanis non semel fit mẽtio. Musonij etiam senis Bizacenæ prouinciæ primæ sedis Episcopi mentio habetur Concilio Carthaginensi habito Idib. Aug. Attico, & Cæsario Consulibus, anno Christi CCCXCVII. quem tamen eundẽ esse cum eo de quo agimus pernegarem, nisi supra vidissemus Osium senem Nicæno concilio præfuisse, eundemque Sirmiensi

miensi concilio, quod triginta & quod excurrit, annis postea gestum est, cẽtenario maiorem adstitisse, atque ad annum Christi CCCLX. peruenisse. Restituti autem Episcopi par apud omnes silentium. Nisi fortasse basilica Restituta Perpetua Carthagine, in qua non vna synodus habita est ab hoc qui in quæstione est Restituto, in honorem Perpetuæ martyris ædificata, nomen acceperit, quemadmodum basilicam ibidem ab Aurelio Episcopo, qui & Florens dicebatur, constructam in eius gratiam Florentiam cognominatam, ex sermonis B. Aug. post collationem in eiusdem basilicæ dedicationem habiti fragmento insigni nondum edito didicimus. Quisquis autem vel Restitutus ille fuerit, vel cæteri cum eo ad Imperatorem a Synodo delegati, plane quales à Seuero descripti sunt, sese adolescentes parum doctos, parumque cautos satis superque prodiderunt, cum mandati fines prætergressi, imo contra ipsum mãdatum, ne quo modo cum Arrianis communionem inirent, acta ipsius synodi admissis in communionem quos illa reiecerat hæreticis resciderunt. Dum hæc autem in Thracia geruntur, interea loci qui Ariminum conuenerant, tam rectæ fidei quam Arrianæ perfidiæ Episcopi legatorum suorum reditum expectare iussi à Tauro præfecto prætorio, cui iniunctum fuerat, ne collectos ante dimitteret quam in vnam fidem conuenirent, ibi summa cum molestia ac tædio detinentur. Quare literis vtraque pars sigillatim Imperatorem obnixissime rogat obtestaturque, quandoquidem hiems instaret, ne permitteret senes, & a suis sedibus longe dissitos, in difficilimam tempestatem differri, sed quam primum ad suas ciuitates reuerti concederet. Rectę fidei

Episcoporum epistolam Socrates habet: Arrianorum sub nomine synodi Ariminensis Orientalibus consentientis hæc collectio exhibet. Cætera quæ deinceps in eo negotio gesta sunt, quemque exitum tandem inuenerint, quandoquidem supra perstrinximus, & fusissime ab Athanasio, Hieronymo contra Luciferianos, & Sulpitio Seuero pertractata sunt, hîc subiungere superfluum est. Nobis enim solummodo ea tractare quæ facere ad connexionem illustrationémque horum fragmentorum videbantur animus fuit. In quibus etiam vereor ne nimio plura dixisse, tragicamque illam execrationem ὄλοιο θνητῶν συλλέγων τὰς συμφορὰς, in me concitasse videar, qui venerandorum Patrum opinionem ac famam, controuersias eorum, dissentiones, defectionémque velut obducta vlcera quæ occuli satius erat refricando sugillem. Verum cum historiarum vnus is sit scopus, vt sint, quemadmodum Thucydides scriptis reliquit, κτῆμα εἰς ἀεὶ ξυγκείμενον, ex quo omnis æui homines vtriusque laudis ac fortunæ exempla depromere, & ad ea varios repentinósque casus quibus cottidie impetimur componere queant: non video cur minus vtilitatis ac commodi ex clarorum virorum calamitatibus, erratis, atque adeo sceleribus ad nos perueniat qui ea legimus tantum, nõ sentimus, quam ex virtutibus rebúsque præclare gestis: cum etiam illis ipsis qui imbecillitate humana in eiusmodi calamitates inciderunt, non raro bene vertere soleant. Crœsum apud Herodotum παθήματα, μαθήματα sibi extitisse, & Meropen in theatris se infortuniis euasisse sapientem ingenue agnoscentes libens prætermitto, vt in ecclesiastica tractatione de sumpto ex sacra historia, ex qua formam trahit Eccle-

ſia, exemplo locum faciam. B. Ambroſius de Petri Apoſtolorum coryphæi abnegatione verba faciens egregie ſcribit, *Etiam lapſus Sanctorum vtilis eſt: nihil mihi nocuit quod negauit Petrus, profuit quod emendauit: didici vitare colloquia perfidorum.* Idem auctor alibi monet aduerſarium ſanctos in ſua damna tentare aliquãdo cogi: *Dum enim tentat,* ſubiũgit, *meliores reddit vt qui tentatur poſſit alios inſtituere, qui ſibi ipſi inualidus videbatur. Denique Petrus Eccleſiæ præponitur poſtquam a diabolo tentatus eſt*, ita non ſolum aliis ſed etiam iis qui illa committunt, vt ſua peccata bene cedant, immenſa Dei benignitas efficit. Hæc enim ſunt ad quæ mens humana pertingere non poteſt Diuinæ prouidentiæ miracula, omnia piis bene vertere: & *quod ab aſſignata ordinis ratione diſceſſerit, hoc idem licet in alium tamen ordinem reducere: ne quid in regno prouidentiæ liceat temeritati.* Quare nemini dubium eſſet debet quin renouatum in Liberio Pontifice Petri ſucceſſore fuerit quod optatus Mileuitanus & Auguſtinus obſeruarunt, diuina prouidentia effectum vt idem ille Apoſtolus negaret, qui claueis accepturus eſſet, quo Eccleſia catholica cuius ipſe perſonam gerebat, diſceret tanquam *vera mater nec peccantibus filiis ſuperbe inſultare, nec correctis difficile ignoſcere*, ipſumque Liberium ad tempus labi permiſſum, vt ex ſuo lapſu acrior ac fortior in hæreſim reſurgeret: & in pœnitentes reuertíque cupientes clemẽtior ac veniæ pronior exiſteret, itémque hoc litteris conſignatum ad hæc vſque tempora illis temporibus non multum abſimilia perductum, vt qui ſtent inde ſibi timere diſcant, nec redeuntibus ad Eccleſiam ſe difficiliores præbeant. Nec minoris ſane vel ſpeculationis,

vel documenti fragilitatis humanæ iudiciorúmque diuinorum inperscrutabilis arcani sunt Osij, ac Luciferi, fortissimorum Catholicæ fidei propugnatorum euenta, quorum ille alter post nominis Christiani confessionem sub persecutoribus sæuissimis constantissime factam, post exhaustos pro fide Catholica contra hæresim labores immensos, perfectásque dignissime legationes multas ita vt pater Episcoporum haberetur, nimium tamen sui sepulchri amans (centesimum enim annum excesserat) in suprema vitæ fabula penitus defecisset, nisi violentiæ Arrianorum Imperatorísque minis cedenti, & approbatione Sirmiensis, Anomœanorum perfidiæ in præceps ruenti diuina clementia manum supposuisset: alter iis etiam superior quibus Osius cesserat, post tot erecta, vt Hieronymi verba vsurpem, de perfidia debellata trophęa, sub ipso triumpho ab ipso dissentionum auctore superatus, separatus ab Ecclesia est, ac plane prostratus. Ad hæc enim quis non protinus cum Tragico exclamet,

Ὦ θνητὸν ἀνδρῶν καὶ ταλαίπωρον γένος,
Ὡς οὐδὲν ἐσμέν.

& abiecta omni fiducia sui salutem suam ex Apostoli præscripto cum timore ac tremore operari non condiscat? At vero generalis illius circunuentionis Ecclesiastici ordinis & quasi ex compacto defectionis consideratio quam vtilis & huic nostro sæculo apta est! Ex ea enim plane instruimur quam cauti, circunspectíque cum hęreticis tractantes esse debeamus, & quanti periculi sit a terminis quos fixere patres, vel vnguem latum discedere. Nam boni illi Patres dum nudas quasdam vt ab Arrianis persuaderi sibi sinebant οὐσίας καὶ ὁμοούσιου voculas in fi-

dei professione omitti passi sunt, sanctissimæ Trinitatis quæ Deus est confessionem, id est summam religionem pro qua conseruanda tantum sanguinis a Christo nato Ecclesia profuderat, tot Martyres dederat, sibi ereptam atque extortam sero tandem animaduertunt. Quanto fortius prudentiúsque ante vim illatam iidem ipsi definierant, iis quę Synodo Nicæna statuta erant nec addi quicquam debere, nec detrahi; & substantiæ nomen, & rem suam debere obtinere firmitatem? Falluntur enim errore, atque nos in eundem secum errorem pertrahere conantur, qui persuadere cupiunt, in his quibus versamur opinionum procellis, Ecclesiam vt quod potissime sequi debeat stabiliatur, conciliis indigere. Quamuis enim fortasse nullo vnquam tempore quam nunc sunt necessaria magis exstiterunt concilia, quibus sponsæ Christi, quam ipse sibi emit non *omnibus vndis*, sed totius innocentissimi sui sanguinis profusione, ab ambitu, auaritia, nundinatione, ignorantia, morúmque spurcitia atque obscœnitate vindicatæ genuinus color ac splendor restituatur, disciplina illa quā Apostoli, & qui ab iis proximi religionem constituerunt velut murum ahæneum contra eiusmodi caritatis atque vnionis pestes prætenderunt vetustate temporis an Pastorum secordia, collapsa restauretur, excitetúrque, & sacro ordini suus honor, suáque auctoritas restituatur: quæ vt sarta tectáque conseruarent primicerij illi religionis auctores quotannis synodos prouinciales bis colligi congregaríque statuerant; licet, inquam, fortasse ad hæc reuocanda reparandáque cōciliis egeamus, vt tamen aliud teneamus quam quod hactenus in Ecclesia creditum obseruatúmque est, concilio statui non

posse arbitror. *Hoc enim semper*, vt scriptum reliquit Peregrinus ille Lirinensis, *nec quicquam præterea hæreticorum nouitatibus excitata perfecit Ecclesia, vt quod sola traditione susceperat, hoc deinde posteris etiam per scriptionem chirographi consignaret magnam rerum summam paucis litteris*, nempe symbolo, *comprehendendo, & plærumque propter intelligentiæ lucem non nouum fidei sensum nouæ appellationis proprietate consignando*. Eiusmodi enim pias nouitates, id est *aduersum noua venena nouas medicamentorum comparationes*, vt eas noster Hilarius vocat, *aduersum nouos hostes noua bella, aduersum nouas insidias concilia recentia* prophanarum nouitatum Apostolica prohibitione nemo sanus excludat. Iam vero qui faciem Ecclesiæ qualis ab illa defectione exstitit, turbis, rixis, contentionibus, discidiis vbique confusam, laceram atque dissipatam, sibi ob oculos statuerit, non minus tunc a suis Episcopis quam paulo ante a coniuratis nominis Christiani hostibus vexatam, in qua nec Antistites quid docerent, nec plebes quid sequerentur rati ac firmi haberent, denique adeo desperatam ac perditam vt sanctissimis viris Neronianorum, Decianorum, Maximianorumque temporum desiderium excitaret, statímque mentis aciem ad subitam illam repentinámque mutationem rerum, quæ mox Constantio defuncto, reuocatísque noui principis edicto in proprias sedes ab exilio Episcopis secuta est, certe agnoscet Dominum laboranti Apostolorum nauiculæ præsto adstitisse, & diuinæ suæ Majestatis presentia quassationem illam sedasse. *Moritur enim bestia* (inquit Hieronymus,) *& tranquillitas redit*. Et sane πολλὰς καὶ παραδόξους ὁδοὺς σωτηρίας οἶδε τὸ θεῖον καινοτομεῖν γένει πρὸς φιλάνθρωπον. Quis enim vn-

quam crederet nisi omnium auctorum fere eius sæculi litteris testatum nobis esset, Draconem illum apostatam Iulianum, Mentem magnam de qua Isaïas, atque Assyrium, qui nihil tam ex Imperio concupierat, quam vt religionem Christianam funditus perderet, ad quam euertendam, vt quondam Iulius Cæsar ad remp. opprimendam sobrius accesserat, restaurationem fidei Nicænæ cōcordiámque Episcoporū promouisse? Cū enim omnes propter fidem Christianam exules cuius-cuius sectæ essent reuocasset, tantum vt illas turbas quibus tunc Ecclesia vexabatur aleret, ac retineret; diuersarúmque sectarum duces (quæ propemodum illo tempore infinitæ fuerunt (intra eadem mœnia degentes velut infestissimi hostes comminus acrius se mutuo persequerētur, citiúsque conficerent; imperscrutabili tamē Dei prouidentia quæ (sicuti apud Hermam Pastorem legimus) *in bonum sibi vertit etiam pessima, vt per Ecclesiam multiplex eius sapientia appareat, secundum præscientiam sæculorum quam fecit in Christo*, trium illorum confessorum ab exilio reuersorum diligentia, labore, sollicitudine omnes fere qui Ariminensi sceleri siue simplicitate decepti, seu metu perterriti, siue etiam Arriana labe infecti subscripserant, culpam agnoscentes Nicænam fidem amplexos supra vidimus. Si quidem communi externæ persecutionis periculo commoti, velut Syncretismo, in vnam fidem coaluerunt, non pauci etiam ex hæreticis Martyres effecti sunt. Ecquis enim diuinæ voluntati obsistere queat? a qua etiam vt eximie a Clemente Alexandrino scriptis traditum est, καὶ αἱ τῶν ἀποστησάντων βουλαί τε καὶ ἐνέργειαι κυβερνῶνται ἐπὶ τέλος ὑγιεινόν. τῆς γὰρ θείας σοφίας, καὶ ἀρετῆς καὶ δυνάμεως ἔργον ἐστὶν οὐ μόνον τὸ ἀγαθοποιεῖν.

ἀλλὰ κἀκεῖνο μάλιστα, τὸ διὰ κακῶν τῶν ἐπινοηθέντων πρός τινων ἀγαθόν τι καὶ χρηστὸν τέλος ἀποτελεῖν καὶ ὠφελίμως τοῖς δοκοῦσι φαύλοις χρῆσθαι. Eiuſdem etiam prouidentiæ opus eſſe mihi perſuadeo, vt hæc fragmenta turbulentiſſimis iſtis temporibus maxime lucem recuperent, per quæ ad eiuſmodi conſiderationem hiſtoriæ excitati ſpem certam ex eius cognitione concipiamus, quotieſcumque ſcelerum noſtrorum nos bene atque ex animo pœnituerit, diuinam manum non mutilam ac decurtatam experturos, eumdémque Dominum periclitanti Apoſtolorum naviculæ tranquillitatem, ſolidam ac firmam redditurum. Longe enim mea opinione errat, ſi quis putat hæreſibus, quæ plurimæ totum fere orbem peruagantur atque conturbant, plus virium ac roboris in ſuorum ſectariorum malis animis aut verſutiis ineſſe, quam in noſtris vitiis ac ſceleribus. Quapropter vt diuinæ Maieſtati pro hac eximia ſui numinis in nos benignitate numquam pro meritis dignas agere gratias vel animo concipere poſſumus, ita etiam piis optimi viri & de genere humano bene meriti Pithoei noſtri Manibus, cui nos hæc fragmenta debere ſumma illa Majeſtas voluit, parem gratiā referre vix ac ne vix quidem valeamus. Cum enim ſic vitam ipſe inſtituiſſet, vt commoda publica vbique propriis negotiis præuerteret, ſæuientéque Lutetiæ peſtilentia Auguſtobonam Tricaſſium, quę illud nobis ſidus ediderat, ſeceſſiſſet, nactus à Franciſco fratre, viro propria laude virtutis, & doctrinæ clariſſimo, & plane tanto fratri germano, vetus exemplar fabularum Æſopiatum improbi, vt eum vocat Martialis, Phædri, quo opere eruditum Tiberij ſæculum nihil venuſtius, elegantiús-ve, protulit, vel huius ſui ſeceſſus

rationem

rationem publice constare voluit. Itaque procuratis characteribus pro captu vrbis quidem magnæ & frequentis, sed mercaturæ ac commercio penitus addictæ atque occupatæ, a litteris vero penitus alienæ, elegantibus, conductísque operis, illas fabulas suo sumptu atque hæc fragmenta typis vulgare constituit: in qua cogitatione absolutis fabulis, hísque fragmentis tantum non ad vmbilicum perductis vir immortalitate dignissimus ad meliorem vitam assumptus est. Adderem hoc loco vnde hęc etiam fragmenta eruerit, nisi bonis viris eiusmodi rerum cognitionem profitentibus ruborem suffundere vererer, qui delitescentis huius in bibliothecis suis thesauri velut gallus ille Æsopius vnionis dignitatem non agnouerunt, vel agnitam non sine publica iactura tandiu continuerunt. Dicam tantum quod prætermitti non potest, horum fragmentorum vnicum exemplar Pithoeum Lutetiæ anno salutis CIↃ IↃ XC. repertum habuisse. Non magis enim noster ille sedecim tyrannis oppressa vrbe quam Socrates triginta suas Athenas vexantibus propositum vitæ decursum philosophando rémque publicam inuando intermisit: vnicum (inquam) neque illud peruetus exemplar habuit; sed tantum ab hinc centum annis in charta, manu gallica, nec latinam linguam satis percipiente confusis dictionibus scriptum, quod præterea etiam librorum Cassiani de Incarnatione Christi epitomen eadem manu scriptam contineret, illam fortasse quam Eucheriũ Lugdunensem Episcopum confecisse testis est Gennadius. Inde spem conceperat & antiquum exemplar vnde recens illud sexcriptum fuerat aliunde recuperari posse, quę causa fuit cur tandiu eorum editionem susti-

nuerit. In quo certe illi hoc felicissime contigit, vt in publicandis duobus istis eximiis antiquitatis monumẽtis fato interceptus præclare actam vitę fabulam illustriore fine veluti Cygnea cãtione concluderet. Quamuis sane difficilimum fuerit virum ingenij, animíque bonis omnibus ornatissimum qui semper illud antiqui poëtæ sibi occinens καὶ μήτε παυσαίμεθα εὖ δρῶντες βροτούς, omne studium, laborem, industriam, omnésque cogitationes suas publicis vtilitatibus deuouerat, atque impendebat non in opere præclaro morte deprehendi. De litterarum studiis tantum non loquor, in quibus assidue exquirendo, perscrutando bibliothecas, antiquorum auctorum scripta vel a mendis, vel ab interitu vindicata prouulgando, vel alios quos in ea re aliquid posse iudicabat exhortando, impellendo atque etiam iuuando nullo tempore non aliquid mouit ac promouit. Quamuis enim illa studia in nostro Pithoeo summa fuerunt, doctrinæque laude præcipue innotuit, vt qui ex primo quem iuuenis dedit, publicatis quibusdam diuini sui ingenij experimentis, eruditionis abstrusæ atque reconditæ gustu inter litteratorum principes, vel suffragante inuidia, ab iis qui tum in litteris regnabant recensitus fuerit, quam de se conceptam opinionem ad vltimum vsque vitæ diem adauxit, sustinebítque quãdiu litteræ durabunt: quantula tamen hæc laudis & gloriæ tanti viri est portio? Licet enim nemo melius vnum quempiam auctorem nouerit quam ipse omnes antiquos vtriúsque linguæ scriptores, quos ad vnum legerat, ad vetera contulerat exemplaria, & concoxerat: licet nemo priuata & domestica negotia exactius tenuerit quam ipse Gallicam, externámque historiam, ori-

gines populorum, descriptiones temporum, successiones familiarum, bella, fœdera, conuentiones, vel exterorum inter se vel nobiscum gesta, ad hæc etiam leges, mores, consuetudines prouinciarum singularumve vrbium, quarum omnium a teneris annis indefesso ac plane Herculeo labore sibi perfectam notitiam cum ex vulgatis libris, tum etiam ex bibliothecis antiquis, archiuis regiis, senatus, rationalium, vrbium, monasteriorúmque comparauerat, instrumentorúmque ipsorum atque actorum bonam partem sua manu descripserat. In iure autem ciuili Romanorum licet ad eum gradum pertigerit, vt de eo celeberrimóque eius præceptore Cuiacio dici iure possit quod de magnis olim oratoribus dictum est, hunc discipulo præripuisse ne primus Iurisconsultus esset, illum vero præceptori ne solus: licet in quam, ea omnia quę in quouis homine singula magnum virum & cum cura dicendum efficiant, in nostro Pithoeo cumulata atque coaceruata eundem ad summam laudem & commendationem euehant; quãtum tamen absunt ab illa sapientia quam ingenij iudicijque felicitate ex cognitione rerum, assidua lectione atque vsu comparata, velut ex omnium antiquorum inuentis qui sapientiæ commendatione floruerunt, conflatam sibi quæsiuerat? Quantum ab illa ciuili prudentia qua præditus velut ἀριστοτέχνας τις (vt cum Pindaro loquar) καὶ δημιουργὸς εὐνομίας καὶ δίκης non solum de rebus priuatis & fori maxima cum facilitate atque æquitate respondere ac statuere, sed etiam de iis quæ ad summam rempub. spectant sapienter deliberare, consiliorũ exitus præuidere, dubiísque ac periculosis euentis prouide occurrere nouerat. Quamuis enim naturali quadam

propensione, corroborata sordidissimi inquinatissimíque apud nos moris odio magistratus non nisi per sordes ineundi, ab omni ambitione vitæque fulgore, nisi quem virtus emitteret, alienissimus vixerit, ita vt honores & magistratus, vel vltro delatos respuerit; iuuandæ tamen patriæ desiderio, cuius amore mirum in modum exarsit, eos quos sua sors clauo reip. admouerat excitando, commonendo, suggerendo quæ vel ab antiquis paribus in negotiis probata fuerant, vel ipse (vt erat peracri solidissimóque iudicio) quæ facienda iudicabat, toto vitæ suæ curriculo priuatus negotium publicum, & absque chlamyde vel prætexta perpetuũ magistratum gessit. Quantum deníque ab illa morum integritate atque innocentia indeflexóque per omnes vitæ partes probitatis tenore, quibus virtutibus consecutus est vt non solum togatorum doctissimus, sed & prudentissimus iurisconsultus, ciuis optimus ac plane vir bonus audiret, qualem vel Fimbria nouerat vel Socrates. Atque hæc etsi tibi æque ac mihi notissima sint, eo tamen libentius commemoro, vt cum non nisi iucundissima virtutum amicissimi viri recordatio esse queat, tum etiam imprimis qui in supremum eius elogium inciderint, quod inter defuncti schedia repertum amici publicarunt, tua fide & auctoritate adducti, qui eum ipsum pro summa inter vos amicitia, veteríque consuetudine mutua virtutum alterius admiratione cõtracta, intus (quod aiunt) & in cute noueras, persuasum sibi habeant, pari modestia & veritate scriptum illud esse qua vir modestissimus ab omni fuco ac vanitate quã maxime alienus, & qui ἀρχὰν μεγάλας ἀρετὰς ἀλήθειαν, duceret, in reliquis rebus tota vita vsus est. Sed vereor ne

tanquam δρύος ἄλις, ita etiam præfationis ſatis ſupérque ſit, præſertim apud te (vir Maxime) quem perſpicaci clementiſſimi atque fortiſſimi Regis noſtri iudicio propter ſingularem prudentiam egregiûmque erga ſe rémque publicam ſtudium, fidem ac pietatem olim propriam noſtrę gentis, nunc verò magno noſtro dedecore rariſſimam laudem, componendis ſedandíſque magnatum noſtrorum inquietibus animis delegatum atque occupatum diutius publicis commoditatibus ſubtractum detinere ſine ſcelere vel etiam impietate nequeā. Quapropter Deum optimum maximum precatus vt te diutiſſime tuis, Senatui, laborantíque Reipub. cuius ex deſtinis es, ſaluum & incolumem commodet; finē hîc facio méque tibi addictum, deditum, obſtrictum quod facis ames etiam atque etiam rogo. vale. Ex foſſatenſi caſtro, quod olim caſtrum Bagaudarum, non ignotæ Diocletiani temporibus factionis, dictum eſt.



NIC. FABRI V. C.

IN LIBROS L. ANNAEI SENECÆ PHILOSOPHI PRÆFATIO.

INTER tot tantósque viros, qui in omni sciētiarum disciplinarúmque genere excelluerūt, quorum quidem scripta ad nos peruenerunt, nescio an vllus extiterit, cuius è re nostra, totiúsque generis humani magis fuerit, monumenta ingenij salua sanáque perdurasse, quàm L. Annæi Senecæ. Nam cum inter omnes disciplinas philosophia primum sibi locum iure vindicet: ea autem vera & germana philosophia sit, quæ nos quàm optimos, & quantum humana patitur imbecillitas, beatissimæ illius naturæ, cuius ipsa munus est, simillimos efficit: in tanto vero sectarum numero, nulla sit, quę id amplius luculentiúsque præstet, quæque ad nostrum dogma propius accedat Stoïcorum schola; nos ea scripta, quæ tam præclaram & egregiam doctrinam continent, tanto pluris æstimare par est, quanto maiorem & vberiorem fructum ab ijs, quàm ab vllis alijs percipere, aut sperare possumus. Atque vtinam tanta nobis id genus scriptorum copia suppeteret, vt quæ pręferre ac sectari deberemus, diu deliberandum esset. Verum cùm iam præter Epicteti pauca, sola hæc Senecæ nobis reliqua sint, gratissimo illo delectu frustrati sumus. Et tamen habenda gratia vetustati quę cum Zenonem, Chrysippum, Brutum, Fa-

bianum, cęteráque illa Stoïcæ ſcholæ decora intercipe-
ret, ac perderet, in optimum ſcriptorem minus ali-
quanto iniurioſa fuit. Nec enim optimum vel cum bo-
na Gręcorum gratia dicere verebor hunc, de quo Plu-
tarchus ἡφιλοσοφίας ἁπάσης Ἀφροδίτη καὶ λύρα, nunquam La-
tinis ingeniis nimis indulgens, ſi Petrarchæ credimus,
ſic iudicauit, in ijs quę ad mores pertinent, neminem
ex Græcis exſtitiſſe, quem cum hoc conferre poſſet. Ex
Latinis etiam, qui illi minimum tribuunt, facile in eius
ſcriptis ac copioſum ingenium, multam rerum cogni-
tionem, egregiámque vitiorum inſectationem laudāt,
pluréſque & claras ſententias, multáque morum gratia
legenda agnoſcunt. Quorum admiratione ducti ſancti
patres, Tertullianus, Lactantius, Hieronymus, Au-
guſtinus, cum propter rerum quę in his tractantur pō-
dus, ſententiarum quibus explicantur grauitatem: tum
etiam propter conuenientiam, coniunctionémque
doctrinę cum ſua, pars Chriſtianum eſſe, alij à religione
Chriſtiana non abhorrere cenſuerunt. Nec vero grande
illud & excellens ingenium, quod veriſſimo elogio
princeps omnis eruditionis à principe & ipſo eiuſdem
laudis audiuit, vna gloriæ materia contineri potuit: ſed
per omnes diſciplinas verſatus, omne fere ſtudiorum
tractauit genus. Quæ tamen eius ſuper ſunt præter na-
turales quæſtiones, pauculos verſus, & ἀπολοκυώτωσιν,
omnia ad mores pertinent, reliqua interciderunt. Et
ne quidem quæcumque ab eo de moribus vulgata ſunt,
iniuriam temporis effugere potuerunt. Nam Quincti-
lianus dialogos ſcripſiſſe prodidit: quos ad moralem
Philoſophiam ſpectaſſe indicio eſt ille *De ſuperſtitione*,
cuius Diomedes Grammaticus ſuæ artis libro primo
meminit

meminit, In quo quàm libere, quamque fortiter & tantum non Christianè contra portenta illa religionum quæ iam diu inualuerant, disseruerit, præter insignia illius dialogi fragmenta, quæ decimo & vndecimo capitibus libri sexti de Ciuitate Dei B. Augustinus inseruit, Tertullianus in Apologetico probat, cuius verba, quia etiam nunc in editione Pamelij magnæ lectionis, exactæque diligentiæ Theologi corrupta exstant, subijciam, vt in libro P. Pithoei summæ eruditionis, doctrinæ morúmque sanctitatis viri leguntur. *O impię*, inquit, *voces, ô sacrilega conuicia, infrendite, inspumate, ijdem estis qui Senecam aliquem pluribus & amarioribus de vestra religione perorantem non reprehendistis.* Sed & quæ ipsum fortuitorum nomine ad tolerantiam doloris & mortis adhortantia atque animantia scripsisse testatur Tertullianus, in dialogi formam composita fuisse, illa de remedijs fortuitorum ad Gallionem quæ extant, ex istis proculdubio fortuitis excerpta, satis indicant. quorum nollem titulum in Romana editione, & hac ipsa quæ Romanam in L. Seneca ad vnguem expressit, mutatũ, & inscribi tantum Excerpta. Sic enim titulus potius concipi debuit. EXCERPTA EX FORTVITIS AD GALLIONEM. Sed ad rem. Librorum etiam Senecæ *De officijs* idem ille Grammaticus Diomedes, *De matrimonio* B. Hieronymus primo aduersus Iouinianũ, itémque *Exhortationum* Lactantius frequentissime in diuinarum institutionum opere meminerunt. Quin & ipse Seneca epist. CVIII. totam Philosophiam moralem vno se opere complexum scribit. Locum quia non vsquequaque in hac editione sanus est, vt in meis libris habetur, transcribam. *Id de quo quæris*, inquit, *ex ijs est*

quæ ſcire tantum eo vt ſcias, pertinet. Sed nihilominus quia pertinaciter properas, nec vis expectare libros, quos cum maximo ordine, continentes totam moralem Philoſophiæ partem, teſtatim expediam. illud prius, &c. Hi ſunt fortaſſe quos idem Lactantius lib. VI. libros moralis Philoſophiæ vocat. *De prouidentia* etiam compoſuiſſe quędam, ex his quæ habentur ſtatim initio tractatus, Cum mundus prouidentia regatur, quare multa mala bonis viris accidunt: & *De immatura morte*, ex eiuſdem Lactantij primo libro diuinarum inſtitutionum clarum eſt. ſed an opere ſeparato, non liquet. Quæ omnia interijſſe magno Philoſophiæ damno, ſed grauiore vetuſtatis inuidia, nemo eſt qui non ſentiat. De natura vero multa & præclara vulgaſſe conſtat. Ipſe cap. *IIII*. lib. vj. Naturalium quæſtionum, iuuenem adhuc ſe de terræ motu librum edidiſſe teſtis eſt. Caſſiodorus in Aſtronomiæ compendio libri Senecæ *De forma mundi* mentionem facit, in quo videtur formæ mundi rotundæ rationes reddidiſſe. Item & Boëtius in collectione de Geometria, ſi non potius ea collectio excerpta ex Caſſiodoro cenſenda ſit, quàm germanum Boëtij opus. Alia præterea vulgaſſe ad naturalem Philoſophiam ſpectantia, quorum ne nomen quidem exſtat, argumento illa eſſe poſſunt, quæ Plinius c. LIIJ. lib. IX. de ætate murenarum Vedij Pollionis, & lib. XXXVI. de marmoribus & lapidibus ſe à Seneca ſumpſiſſe fatetur. Ad hæc commentationem etiam *De ſitu Indiæ*, in qua eius vrbes, amnes populóſque enumerauerat: & *De ſitu, & ſacris Ægyptiorum* compoſuit. vtriuſque auctoritate Seruius vtitur in lib. vj. & *IX*. Æneid. alterius idem Plinius cap. XVII. lib. *VI*. Præter Philoſophicos libros multa alia tum

prosa oratione, tum numeris edidit. Sub Caio enim pręcipuè causis agendis foróque vacauit, & maxime, vt ait Suetonius, placuit, immo exitio pæne ei fuit eloquentia, parúmque abfuit, quin à Caio ob hoc solum occideretur, quòd apud eum causam aliquam disertissime egisset. subdítque Dio l. LIX. Τοῦτον μὲν οὖν ἀποθανεῖν κελεύσας ἀφῆκε, γυναικί τινι ὧν ἐχρῆτο πιστεύσας, ὅτι φθόῃ τε ἔχοιτο κακῶς, καὶ οὐκ ἐς μακρὰν τελευτήσοι. Quo tempore declamationes, & præfationes, quas nō vno loco laudat Quinctilianus, emisisse eum verisimile est. Quædam etiam de arte dicendi scripsisse videtur, Nam quod idem Quinctilianus c. *11*. l. *IX*. profert à Seneca eleganter dictum, *Iurare patronorum non esse, sed testium*, ex quibusdam eloquentiæ præceptionibus desumptum probabile est. Nerone vero rerum potiente, quamuis maioribus imperij negotijs occupatus nullas amplius causas egerit, nihilominus tamen exercendæ & publicandæ facundiæ occasionem principis non exercitata in dicendo adolescētia prębuit quandoquidem laudationem Claudij, quam in eius funere pronunciauit, & orationes, quas ad Prætorianos, Senatúmque habuit, à Seneca compositas Tacitus refert. Hanc vero ad Senatum optimam imperandi rationem ita ex sapientiæ præceptis exprimentem ὥστε inquit Dio καὶ ἐς ἀργυρᾶν στήλην ἐγγραφῆναι, καὶ ἐν ταῖς νέαις τῶν ἀεὶ ὑπάτων ἀρχαῖς ἀναγινώσκεσθαι ψηφισθῆναι. καὶ οἱ μὲν ἐκ τούτων, ὡς καὶ καλὰ ζωγραφήματά τινα καλῶς ἀρχθησόμενοι παρασκευάσοντο. Pleráſq; alias etiā, quibus clementiā suā Nero obstringebat, Seneca testificando quàm honesta præciperet, inquit idem ille Tacitus, voce principis vulgauit: quarum tamen ne vestigium quidem permansit. Nam quæ apud Tacitum Senecæ ad Neronem habetur, non magis eius est, quàm

ad illam responsio Neronis. Quinetiam si quæ maioris momenti ad Senatum mittebantur epistolæ, eas ipse dictauit, & in vulgum emissas, & publicatas, ex eo apparet, quod Quinctilianus cap. v. lib. *VIII.* Senecam laudat in scripto quod Nero ad Senatum misit, occisa matre, cum se periclitatum videri vellet. Addit & Xiphilinus, καὶ τῶν βασιλίδων καὶ ἐξελευθέρων ἐγκώμια συντιθέναι. & fortassis Græcus homo in litteris Latinis parum exercitatus, consolationes ad Marciam & Polybium eo nomine intellexit. Epistolarum etiam libros edidit ad familiares, ex quibus plerásque ad Cæsonium Maximum fuisse non male quis colliget ex Epigrammate XLIIII. lib. *VII.* Martialis, quod ad Ouidium tale est:

Facundi Senecæ potens amicus,
Caro proximus, aut prior Sereno,
Hic est maximus ille, quem frequenti
Felix littera pagina salutat.

Cuius Maximi idem Seneca meminit Epistola ad Lucilium LXXXVII. *Ego*, inquit, *& Maximus meus biduum iam beatissimum agimus.* Hunc etiam Maximum Cęsonium in exilium Senecam fuisse secutum idem Martialis Epigrammate XLIII. eiusdem libri innuere videtur ad Ouidium Cæsoni in exilio comitem, quod ei tanquam Pisonianę coniurationis conscio indictum à Nerone fuerat. Illud enim Epigramma sic concludit:

Audiet hoc præsens, venturáque turba fuisse
Illi te, Senecæ quod fuit ille suo.

Sunt qui putent historias composuisse, illúdque quod vulgo L. Annęo Floro adscribitur historiæ Romanæ breuiarium, huic tribuunt, sed leuissimo argumento.

Quamuis enim diuisio illa ætatum imperij Romani, cuius auctorem Senecam Lactantius ait, in illo Flori libello reperiatur, potuit tamen in aliquo suorum operum Philosophicorum hæc dixisse, vnde Florus desumpserit. Isidorus etiam Originum primo contractis Tironis, Persannij Philargij, & Aquilæ Mæcenatis liberti notis alias addidisse, opúsque in quinque notarum milia effecisse prodit: cuiusmodi in Regia, & præclari Senatoris Claudij Puteani, aliorúmque bibliothecis exẽplaria cuiusdam libri exstant L. Senecæ adscriptis, cum hac epigrafe, *L. Annæi Senecæ liber notarum numero quinque milia.* Quæ poëmata composuerit, non constat. tãtum apud Tacitum legitur, obiectum ei apud Neronem carmina crebrius factitare, postquã Neroni amor eorum euenisset. Et certè paucula eius quæ supersunt Epigrammata, alia etiam composuisse ostendunt. Tragœdiæ quæ solæ ex Latinis superant, aliquando ei tributæ sunt. Verum Sidonius Apollinaris contra est, qui alium Senecam tragicum à Neronis præceptore facit. Et certè Octauia nostri Senecæ esse non potest. Manifestum faciunt multa: sed ea præcipuè, quæ Agrippinæ vmbra loquitur,

Veniet dies, tempúsque, quo reddat suis
Animam nocentem sceleribus, iugulum hostibus
Desertus & destructus, & cunctis egens:

& nutrix Poppaeæ, *Cæsari iuncta es tuo*
Tæda iugali, quem tuus cepit decor,
Et culpa Senecæ.

quæ de se seu vera vel falsa nõ scripsisset Seneca: illa vero quę de Neronis exitio vaticinatur Agrippina, viuo illo nõ nisi ab Apolline scribi potuerunt. Præterea Teren-

tianus Maurus cum de versu pastorali tractans, scribit,

In tragicis iunxere choris hunc sæpe diserti
Annæus Seneca, & Pomponius ante Secundus,

satis ostendit Senecam tragœdiarum scriptorem, nostro Senecæ, quem Pomponio Secundo poëtæ Tragico æqualem fuisse à Tacito didicimus, ætate posteriorem vixisse. Huic tamen Quinctilianus cap. *11.* lib. IX. diserte tribuit Medeam tragœdiam inter eas editam, quæ L. Senecæ iuniori adscribuntur, hemistichiúmque quod in ea legitur huius nostri Senecæ esse dicit. *Interrogamus*, inquit, *aut inuidiæ gratia, vt Medea apud Senecam: Quas peti terras iubes?* nec dubium est quin hunc ipsum intelligat Philosophũ. Nam cum huius vnius in reliquo suo opere meminerit, si eo loco alium animo designasset, exactissimus scriptor aliquam distinctionis notam, qua cognosceretur quem intelligeret, adposuisset. de quo tamen acutiorem Criticorum iudicium expectamus. Sanè verius est, vt ἐν παρόδῳ hoc dicam, quod doctissimis viris placet, hoc tragœdiarum corpus non vnius esse ingenij. Nam Medea ceteris purior & floridior, Agamemnon, Troas, Hercules furens, sententiarum frequentiam, breuitatẽ, declamatoriámque argutiam captant, scholámque magis redolent. Quid quòd in solo Oedipi choro Bucolicos versus extare obseruauimus, quibus Senecam tragicum sæpe in suis choris vsum Terentianus dixit? Sunt quidem in Medea Hexametri, sed omnes vno excepto Heroïci: vt difficillimum sit pronuntiare cui adsignari debeant. Et hæc de libris Senecæ, qui interciderũt. Qui autem vetustatis iniuriam effugerunt, quemadmodum milites ex magna & cruenta clade fugientes, incompo-

siti ad nos peruenerunt, plerísque etiam mutili & imperfecti. Quid cuíque desit, aptius nobis aliquando suo quoque loco ostendetur. Interim, quod primum duces solent, palantes & vagos colligere, in numerósque & ordines digerere, conabimur. Fere libri ordine disponuntur, vel ratione materiæ, quæ in his tractatur, vel temporis, quo editi sunt, & emissi. Materiæ ratio in ijs quæ supersunt Senecæ haberi non potest, quæ nullam inter se connexitatem habet. temporis ergo, quo scripti sunt, quantum vel certis probationibus, vel coniecturis assequi poterimus, rationem sequemur. Consolatio ad Marciam prima occurrit, quæ sub Caligula scripta videtur. dico videri, quia de ea aliquid certi statui non potest. Cur tamen ita sentiam, ratio est, quòd Tyberij Imperatoris in ea consolatione pietatem erga matrem, captata potius quàm oblata occasione laudat, quem tamen in ceteris suis scriptis sub Claudio, vel Nerone editis libere perstrinxit. Nec id facit vt Marciæ gratiam demereatur, quam non propitijs auribus laudes eius audisse par est, cuius crudelitate patre orbata fuerat. Facit igitur vt tempori, imperantique inseruiat, cuius offensionem verebatur. Leuior fortasse est ea coniectura, sed fortioribus hac in re deficimur. Certius est quod de consolatione ad Heluiã sequitur, quam initio sui exilij.i. anno primo Imperij Claudij compositam esse ex eius lectione dignoscimus. Imperij vero Claudiani initio in exilium missum, Dio testis est, qui primum hoc Messallinæ in principatu malum facinus recenset, quod Iuliam Germanici filiam in exilium miserit ἐγκλήματα αὐτῇ ἄλλά τε καὶ μοιχείας παρασκευάσασα· ἐφ' ᾗ καὶ ὁ Σενέκας ὁ Ἀνναῖος ἔφυγε. quasi vero tãtum propudium cuiquã

ex animo adulteriũ obijcere potuerit, & non color quæsitus fuerit, quo nobilem mulierem, domúsque Germanici fautorem Senecam euerteret. Eiusdem temporis est fere consolatio ad Polybium, quæ in exilio scripta est, initio expeditionis Britannicæ. Id cognoscere licet ex his verbis quæ in ea habentur: *Sidus hoc*, inquit de Claudio, *quod præcipitato in profundum, & demerso in tenebras orbi refulsit, semper luceat. Hic Germaniam pacet, Britanniam aperiat, & patrios triumphos ducat & nouos.* nondum igitur aperuerat, quam tamen constat aggressum imperij sui anno secundo. Hinc etiam deprehendere licet mendum vel lapsum apud antiquum scriptorem in Iuuenalis Satyram v. *Hic* (inquit de Seneca) *sub Claudio, quasi conscius adulteriorum Iuliæ Germanici filiæ, in Corsicam relegatus, post triennium reuocatus est.* Legendum enim, *post octennium* siquidem nono demum anno Claudij, cæsa Messallina, reuocatus est. Epigrammata etiam quæ huic editioni adiuncta sunt, in exilio scripta sese ipsa clamant. Ordine procedit *ludus de morte Claudij*, quem ἀποκολοκύντωσιν, ὥσπερ τινα ἀπαθανάτισιν, initio statim imperij Neronis vulgatus: nisi fortasse aliquis libros, *De ira, In sapientem non cadere iniuriam*, & *Cum mundus prouidentia regatur, quare multa mala bonis viris accidant*, & *De tranquillitate animi*, velit huic interstitio temporis, quod ab eius reditu ad mortem vsque Claudij fluxit, tribuere: de quibus tamen nisi quod post Caij cædem editi sunt, nihil liquido affirmare ausim. Ludum proxime sequuti sunt *De Clementia* libri. hos enim decimo nono ætatis Neronis anno conscriptos auctor indicat cap. *1* x. lib. *1*. eius operis: cuius anni mense quarto imperium Nero suscepit. *De beata vita* post primum

primum quadriennium Neronis ſcriptus eſt, cum ſcilicet auctoritate & dignitate cunctos prætergreſſus, immēſiſque auctus principis liberalitate diuitijs, ab inimicis accuſari cœpit, quaſi contra ſectæ præcepta ter millies ſeſtertium intra quadriennium regiæ amicitiæ congeſſiſſet, laxius opulentiúſque habitaret, lautius atque ſplendidius cenaret ac viueret, quàm deceret modeſtiam & frugalitatem profeſſum. Hæ enim, vt inquit Tacitus, fuerunt Suillij, & aliorum improborum hominum de eo voces, à quibus Dio in hiſtoriam ſuam tranſtulit, in inſtrumento eum domeſtico πεντακοσίους τρίποδας κεδρίνου ξύλου, ἐλεφαντόποδας ἴσους καὶ ὁμοίους habuiſſe, quibus cenaret. Quæ ſibi à maliuolis obiecta illo libro De beata vita diluit à cap. XVII. ad XXVIII. docétque ſemper in ſummos viros confictum, quòd contra præcepta viuerent, ſe nec ſapientem eſſe, nec tantum de ſe promittere, ſibi ſufficere ſi malis, ijſque à quibus criminaretur, melior euaderet. diuitias tamen bonæ menti non officere, meliúſque apud ſapientes & bonos, quàm apud malos & ſtultos habitare. Hæc qui non intellexerunt Senecam de ſe dicere, fœde locum inſignem cap. XXVII. illius libri, quod adhuc animaduerſum non eſt, corruperunt. Is ita habet. *Quare hic Philoſophus laxius habitat? quare hic lautius cenat? papulas obſeruatis alienas, obſiti plurimis vlceribus. Hoc tale eſt, quale ſi quis pulcherrimorum corporum næuos, aut verrucas derideat, quem fœda ſcabies depaſcitur. Obijcite Platoni quod petierit pecuniam, Ariſtoteli quòd acceperit, Democrito quòd neglexerit, Epicuro quod conſumpſerit, mihi ipſi Alcibiadem, & Phædrum obiectate.* quo loci quid hæc poſtrema verba ſibi velint, non video. Qui hæc mutari

nolunt, aiunt à Socrate, quem paulo ſuperius loquentem finxit, dici. Sed quid Alcibiades & Phædrus ad diuitias? Præterea à Socrate nō dici vel hinc notum, quòd magnificentior habitatio, aut ſumptuoſior cena numquam Socrati obiecta eſt: nec Seneca adeò vel hiſtoriæ, vel artis dicendi neſcius, vt eum induceret Ariſtotelis tanto minoris, & Epicuri ſexaginta demum annis poſt obductam cicutam nati exempla referentem, de quo ne cogitare quidem potuit. Et ſane omnes ante annum CIↃ. IↃ. XXXVII. editiones locum ita exprimunt, *mihi ipſi alicubi ad ſe, & Phædrum obiectate.* ex qua lectione, quæ vulgo habetur, effecta eſt. Tres manuſcripti codices legunt, *alicubi eſſem et pedrum* vnus plane, *alicubi eſſem & prædiū*, quod ſolū purum putū arbitror. Per aſſem enim & prædium ſuas opes ſignificando extenuat, quas maxime in fœnore & prædiis conſtitiſſe apud antiquos certum eſt. & ipſe auctor ſuas in his rebus ſitas in oratione ad Neronem apud Tacitum refert. *Vbi eſt*, inquit, *animus ille modicis contentus? Tales hortos inſtruit, & per hæc ſuburbana incedit, & tantis agrorum ſpatijs, tam lato fœnore exuberat*, &c. nec ampliorem manifeſte veræ lectionis probationem requiret, qui diligentius totum eum locum penſitarit. Nos reliqua perſequamur. An ſuccedat liber *De breuitate vitæ*, quæſtionis eſt. mihi ita videtur. Pompeio enim Paullino dictus eſt veſtigalium publicorum præpoſito. Pompeiæ Paullinæ vxoris, quam ante aliquot annos duxerat, patri fortaſſe vel fratri. De ea enim intelligo, quod ἐπιφανέστατον γάμον γαμῆσαι noſtrum Senecam circa illud tēpus Dio retulit. Id autem oſtendunt quæ ad Paullinum cap. XVIII. eius libri diriguntur, *Tu*, inquit, *orbis terra-*

rum rationes administras tam abstinenter quàm alienas, tam diligenter quàm tuas, tam religiose quàm publicas. in officio amorem consequeris, in quo odium vitare difficile est. Hæc non nisi de vectigalibus, quæ aptissime terrarum orbis rationes vocat, intelligi possunt, quorum cum L. Pisone & Ducennio Gemino ei cura extra ordinem demãdata fuerat. Nam quæ de frumento publico subijcit, ad frumentum quod ex decumanis agris vectigalis nomine percipiebatur, refero. quin etiam tribus illis consularibus iniunctam vna cum vectigalibus annonæ curam, nihil impedit: immo Tacitus id dicere videtur, qui narrationi de publico frumento vetustate corrupto, frumẽtarijsque nauibus partim igne fortuito, partim tempestate perditis, quasi ijs damnis obuiam itum in posterũ significare vellet, tres illos consulares vectigalibus præpositos subiunxit. Preterea toto eo libro id agit, vt doceat hanc vnam esse vitæ extendendæ rationem, quam omnes breuissimam queruntur, si ceteris rebus omissis publicis priuatísque, quas vel vanas, vel exitiosas, etiam quæ tutissimæ videntur, exitus probat, omnem ætatem sapientiæ studiis impendamus, nobisque ipsis viuamus. huic vni curæ Paullinum relictis publicis, quibus detinebatur, negotijs, incumbere hortatur. Hæc maximè cum ipsius Senecæ vitæ conditione, quæ tum fuit cum tres illi consulares vectigalibus præfecti sunt, congruũt, nempè aliquot post mensibus, quàm suas opes, quibus in inuidiam apud Neronem trahebatur, resignare voluit, commeatu non impetrato: commutatis tamen prioris potentiæ institutis, prohibitis salutantium cœtibus, philosophiæ studijs domi, vel proximis vrbi locis, quamdiu Romę Nero aderat, se continens. Hæc diser-

te Tacitus: in eóque vitæ inſtituto perſeueraſſe ad vltimum vſque diem nō obſcure refert. Quo magis miror, vt id in tranſitu dicā, quibus rationibus, aut coniecturis ducti eum P. Mario, & L. Aſinio conſulibus quidam ſufficiant cum Trebellio Maximo, cum quo licet conſul fuerit, non tamen eo anno arbitror. Quod autem in eodem libro habetur, modo cum Caius Cæſar perijt, intra paucos ſeptem ſcilicet vel octo dies, adfuiſſe vltimum malorum etiam obſeſſis, alimentorum egeſtatem, ἐν πλάτει accipiendum eſt, cum XXII. anni inter Caij necem & hoc tempus quod in manu eſt, effluxerint. Sic enim & cap. XXX. & XXXI. lib. IV. de Beneficijs, de conſulatu Cinnæ & Mamerci Scauri loquitur tanquam de re modo geſta, & tantum non præſenti, quos tamen conſtat triginta & quadraginta annis ante illorum librorum editionem conſules fuiſſe: & epiſt. XLIX. iam Senex *Modo*, inquit, *apud Socionem puer ſedi; modo cauſas agere cœpi*, &c. Superſunt *Epiſtolæ*, & *Quæſtiones naturales* vltimi excellentis ingenij fetus, eiuſdem cum libro de breuitate vitæ, temporis vel etiam poſterioris. In Epiſtolis paſſim rerum humanarum varietatem perpetuámque inconſtantiam exagitat, honorum, diuitiarum, ceterorúmque, quæ vulgo ſectamur, dubium euentum, ſæpe etiam aſſecuto exitioſum. Vbique egeſtatis, exilij, mortiſque contemptum inculcat, ſolidámque eam ſecuritatem eſſe, quam quiſque in ſe reponit, docet. quem tamen difficile fit aſſequi, niſi vnius animi ratio habeatur, cetera vt ſuperflua reſcindantur, totúſque qui eam adipiſci nititur, in ſe contrahatur. Hæc ſcribere erubuiſſet in ſummo rerum negotiorúmque faſtigio, & clariſſima imperij Romani luce

versans, cuius non minus quàm Imperatoris moderator erat: non, inquam, ad amicum, cui interiora quoque nota erant, scripsisset, nisi re ipsa præstitisset, & exemplo suo vera esse comprobasset. Ad hoc autem prescriptum vitam eum suam instituisse, postquam inuidiosas eius diuitias Nero recusauit, supra diximus: quarum etsi possessionem specie retinuit, animo tamen deposuit, curámque earum & vsum abiecit. Idque ex Epist. VIII. clarum est. *Secessi*, inquit, *non tantum ab hominibus sed etiam à rebus, & primum à meis.* Denique Epistola XXCIII. XXCVII. & CXXIII. talem vitam suam describit, nempe solitariam & parcissimam, qualem Tacitus hoc tempore egisse retulit. Nam florentibus & lætis rebus contentus fuisse vno vehiculo, mulione excalceato, mulis macris & strigosis, pane gregario, vel aliquando nullo, caricis pro pulmento, nemo persuadebit, cum sibi tum luxum obiectum ipse fateatur. Quin etiam si quid expressius & strictius de tempore quo illæ Epistolæ scriptæ sunt, definiendum est, vltimis mensibus consulatus Reguli & Rufi, & anno proxime sequente, Lecanio, & Licinio consulibus, omnes missas arbitror. Et sane intra annum vnum editas esse ex earum lectione manifestum est, temporísque consecutio, quæ in ijs deprehenditur, ostendit. Decima octaua Decembri mense scripta est, XXIII. initio veris, quod malignum, & inuerso tẽpestatis ordine frigidum queritur. LXVII. vero ad eiusdem veris finem. Eiusdem autem esse veris peruersi & præposteri, probant quæ initio eius Epistolæ leguntur. *Vt à communibus*, inquit, *initium faciam, ver aperire se cepit: sed iam inclinatum in æstatem, quo tempore calere debebat, intepuit. nec adhuc illi fides est: sæpe enim in*

hyemem reuoluitur. Vis scire quàm dubium adhuc sit? nondum me committo frigidæ, adhuc rigorem eius infringo. Male in ceteris editionibus, vt obiter hanc maculam eluã, *nondum me committo frigido veri:* & in hac editione, *frigido aëri*; frigidam enim aquam intelligit, qua pro balneo quotidie vtebatur. Testis Plinius lib. xxix. natural. histor. vnde se ipse psychrolutam, & frigidæ cultorem non vno loco vocat. Sed ad rem. Epistolã octuagesimam septimam Iunio mense in Iulium vergente dedit, cum esset in Scipionis villa in agro Linternino sita, quam tunc temporis Vetulenus Ægialus libertinus colebat. Centesimam vigesimam tertiam autumni initio. vt inde appareat intra anni nec integri spatium omnes editas. Eum autem esse annum quem diximus. hinc noscere est, quòd in Campania, nempe Neapoli, Pompeijs, Baijs, Cumis, Puteolis, & in Linternino agro omnes à quinquagesima ad octuagesimam septimam datæ sunt: in quæ loca Senecam iuisse in comitatu Principis, in quo semper retentus est, intelligo; cum Nero scenarum publicarum desiderio, in quibus vocem ostentaret, tantam infamiam Romæ auspicari veritus, Lecanio & Licinio Coss. Neapolim profectus est, vbi suam vocem primum publicam fecit: & hinc Beneuentum, Achaiam cogitans, vnde tamen statim mutato consilio in vrbem redijt, & cum ea Seneca. Inde, vel ex proximis vrbi villis, Albano nempe, & Nomentano, ceteras post octuagesimam septimam epistolas missas existimo. Præterea epistola nonagesima prima Lugdunensem coloniam fortuito igne exustam deplorat, quod eo anno accidisse credendum est, cum proxime sequenti, quo ipse Seneca occisus, Neronem qua-

dragies sestertio Lugdunensem cladem solatum retulerit Tacitus: nec eiusmodi solatia diu post acceptas clades differri solita ex historijs obseruatum sit. Seneca in eadem illa epistola centesimum eius coloniæ annum fuisse ab origine sua cum exusta est, scribit. Sed nec inter auctores constat quo anno deducta fuerit. Eusebius enim anno vltimo cẽtesimæ decimæ octauæ Olympiadis deductam indicare videtur: nec ita exacte illius coloniæ annos Seneca definire voluit, quinetiam quod excurreret, intelligeretur. Is autem centesimus eius vrbis & sextus annus ad Dionis calculum fuit, qui exstructam Hirtio & Pansa Coss. prodit. Eiusdem sunt temporis libri naturalium quæstionum. Firmissimum argumentum est, quòd in præfatione libri sexti, terræ motum, quo Pompeiorum magna pars proruit Memmio & Verginio Rufo Conss. Nonis Februarijs. describit. in quo tamen à Tacito dissentit, qui præcedenti anno narrat. Porrò quamuis vt dictum est, & quæstiones naturales, & epistolæ ad Lucilium certa contineant argumenta postremæ ætatis L. Annæi, materiam tamen institutúmque eorum operum priori & integriori deberi, indicio illa erunt, quæ ipse sub finem consolationis ad matrem in exilio positus sub Claudio, iam tum se de tonitru, fulminibus, ventorumque flatibus, ac cæteris eiusmodi meteoris meditatum ait; & quod initio Epistolarũ CVI. & CIX. ex libris de morali Philosophia, quos initio quoque libri de Prouidentia pridem se instituisse significat, excerpsisse fatetur multa quæ illis epistolis insereret. Quod factum quis non paulo attentior lector agnoscat? At vero tot tantáque & talia vno anno ab homine sene morbidóque ac de exitu co-

gitante instituta conscriptáque vltra fidei modum videri possit. Sed nec illa naturalium fragméta potius quam iustum opus in veteribus libris certum ordinem habét, vt facile appareat de discessu cogitantem ac iam conuasantem Senecam, pro tempore illa tumultuorio collegisse, quæ olim ad id institutum seposuerat, nec ijs tamen supremam manum imponere potuisse prȩuentum morte. Cȩteros, qui huc vsque ei adscripti sunt, in nullo numero ponimus, indignos qui tanto auctori tribuantur. *De Controuersijs & Suasorijs* non loquor, in quibus patri suus hæres iura successisse videbatur. *Declamationum* vero *libros decem* excerpta esse Cōtrouersiarum alibi docuimus. Epistolas ad Paullum dico, quæ non magis eximium nostri auctoris ingenium sapiunt, quàm responsiones ad illas Deo plenum & θεοφόρον Paulli stilum: ideóque à doctis nō magis pro Senecæ germanis agnoscuntur, quàm responsiones ab Ecclesia pro Paullinis. Antiquæ sunt, & ante Augustini, Hieronymique ætatem, sed non nostro demum sæculo eiusmodi suppositiones occœperunt, De paupertate cento est ex epistolis, quem Iurisconsulti esse responderent eius qui cōcinnauit, De remedijs fortuitorum excerptum esse supra diximus ex fortuitorum dialogis. De virtutibus est Martini Braccarensis Episcopi, qui Canones Orientalium conciliorum in Hispaniam attulit, secundæque Braccarensi synodo approbauit sub Theodomiro Galleciæ rege, cui Myro successit, ad quem ille liber. Et hȩc fortasse nimis multa de libris Senecæ. Nam quæ de stilo eius, & dicendi charactere hîc addi possent, Quinctilianus olim, & nostro sæculo Erasmus ad calumniā vsque excusserunt. Hæc, vt ad intelligentiam operum Senecȩ

fortassis

fortaſſis non officient, ita magni in litteris & diſerti viri, qui ea recenſenda ſuſceperat, & fere adfecerat, deſiderium excitabunt: à quo eadem ornatiora, & omni ex parte meliora, niſi morte præuerſus fuiſſet, habituri eramus. Huic nos in præclaro curriculo fati malignitate deficienti, non ignaros alioqui quam difficile ſit poſt Roſcium in orcheſtra placere, & vanum ἡλίου χαίοντος λύχνον ἅπτειν, ſuccenturiari, & iniuriæ publicæ, quantũ in nobis fuit, intercedere, cum grauiſſimi & ſanctiſſimi ſcriptoris amor, tum amicorum ornatiſſimorum virorum, quibus omnia volumus, ac debemus, expoſtulationes impulerunt. A libris Senecæ, quos Muretus recognouit, manum in hac editione abſtinuimus. Quamuis enim in iis quædam deprehenderimus, quæ acutum properantis iudicium effugerunt, dum variis afflictus morbis, non longe à vitæ creta abeſſe ſe ſentit, (hoc enim amicis per litteras ſignificauit) opúſque premente fato vrget: addere tamen quicquam, vel immutare viſum non eſt, vt ſaltem puri puti ex eius recenſione exſtarent. meliúſque & commodius ſeparato Prætermiſſorum in L. Senecam opere, quod ſub manu eſt, indicari, & adnotari poſſe cenſuimus. Quo, ſi hæc grata tibi, optime Lector, & accepta perſpexerimus, nos, Deo dante & perficiente, breui te impertiemus.



NIC. FABRI V. C.

AD. M. ANNAEI SENECAE RHETORIS LIBROS PRÆFATIO.

DOCTORVM ſuffragio receptum eſt, hos Declamationum ſiue Controuerſiarum libros eſſe Senecæ Rhetoris, Lucij Annæi Senecæ philoſophi patris. Argumenta quibus ſuam ſententiam fulciunt, vir magni iudicij, rariſſimæque eruditionis & doctrinæ, Iuſtus Lipſius Electorum primo vulgauit: à quo elegantiſſime ſcripta peti, quàm aliena huc transferre, vel inuertere malui. Nec recens ac primum noſtra ætate nata opinio. Raphaël enim Volaterranus ſui operis decimonono, *Marcus*, inquit, *Annæus Seneca philoſophi pater Cordubenſis & equeſtris ordinis, ac eruditiſſimus fuit: vt cui declamationes quæ filij dicuntur eſſe, nonnulli referant.* Tantum quæ dubitanter protulit, nos conſtanter aſſeueremus. De hoc autem Senecæ patre apud antiquos altum ſilentiũ. Filius apud Cornelium Tacitum ſe equeſtri, ac prouinciali loco ortum profitetur: de quo tamen non eſt dubium, quin ſub Caio & initio imperij Claudij, cum primum Gallio, & Seneca filius innoteſcere cœperunt, plura dixerit, quę cum horum temporum hiſtoria interciderunt. Neque enim veriſimile eſt exactæ diligentiæ ſcriptorem, quod in cæteris alicuius nominis executus eſt, clarorum ho-

minum, priorésque partes in Republica habentium genus, patriam, parentes, vitæ rationem progressumque omisisse. Quin & libro decimo sexto Melę exitium traditurus, quibus Gallio & Seneca parentibus natum dicere satis habuit. Quintilianus in egregia illa auctorum censura vnius tantum Senecæ Philosophi meminit. Itéque Statius Lucani genethliaco dum claros Cordubẽses recenset. Nisi fortasse quod à Martiali scriptũ est,

Duosque Senecas, vnicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba:

de patre & filio quis intelligere velit. Nam quod alibi scribit,

Atria Pisonum starent cum stemmate toto,
Et docti Senecæ ter numeranda domus:

ad Gallionem, Senecam, & Melam, eodem tempore opibus & dignitate florentes, Pisoníque familiares, quod iis etiam exitio fuit, quosque Martialis vna coluit, referendum iudico. Quæ tamen ex Volaterrano retuli, vndecunque illa mutuatus fuerit, pro certis & cõpertis habeo. Prænominis fidem faciunt Marcus blandissimus ille puer Senecæ Philosophi, & Marcus Lucanus Melę filij in aui honorem ita vocati. Naturali enim quodam impellente affectu, vel sua, vel patrum prænomina liberis antiquos imponere solitos obseruatum est. Quo magis miror diligentissimos viros, qui fastos digesserunt, Lucium Senecam philosophum, Lucij filium ex Dione & Tacito dixisse. Ac vereor ne hac in re auctoritatibus deficiantur. Patriam vero Cordubam liberi & nepotes Cordubenses probant. Illa est enim colonia intra quam se detentum fuisse bellis ciuilibus dicit in præfatione huius operis. Quam primam in Hispa-

niam deductã ᾤκησαν ἐξ ἀρχῆς, inquit Strabo, Ῥωμαίων τε καὶ τῶν ἐπιχωρίων ἐπίλεκτοι ἄνδρες. Vnde etiã fortaſſe Patriciæ nomen ei inditum. Nam ita ipſam cognominari Plinius capite primo libri tertij naturalis hiſtoriæ, memoriæ prodidit, & in quibuſdam nummis Auguſti à tergo inſcriptum eſt. COL. PATRICIA, eiuſque ciues in lapidibus antiquis Patricienſes appellantur. Ordinis vero equeſtris fuiſſe præter Tacitum ipſe de ſe ſcribit præfatione ſecunda. Ille enim eſt ordo quo contentum eſſe Melam filium iubet: & fuit. Adderem ducta vxore Helia, ex qua tres liberos ſuſceperit, ſub Auguſto Romam veniſſe, familiaremque ibi Portio Latroni, Caſſio, Seuero, Claudio Turrino, Montano, ceteríſque illius fœcundiſſimi elegantium ingeniorum ſæculi luminibus vixiſſe, & alia id genus quæ ex his libris & conſolatione filij ad Heluiam elici poſſunt: niſi mihi propoſitum eſſet, hos potius emendare, quàm tranſcribere. Quanti autem fuerit acuminis & quàm acris iudicij, ſatis ſupérque hoc ſcriptum indicat, in quo plus centum auctorum tam Græcorum quàm Latinorum qui Auguſti ſæculum illuſtrarunt, acute in declamando inuenta & dicta congeſſerat, congeſta inter ſe contulerat, & de ſingulis ſeueriſſime iudicando, diuina illa ingenia velut in tabula depicta ad poſteritatem tranſmiſerat. Sed neſcio quo fato non ſolum eorum ſcripta genio illo qui libris vitam & diuturnitatem parit, defecta fuerunt: de tot enim egregiis viris vix vnius Ouidij monumenta ad nos vſque perdurarunt: verum etiam noſter auctor, per quem Muſę tantorum ingeniorum memoriæ & gloriæ prouidiſſe videbantur, eodem pœne fato functus eſt. Nam ex decem Controuerſiarum libris quos vulgarat,

quinque vix supersunt: ijque adeo mutili & corrupti, vt fragmentorum potius congeriei, quàm alicuius integri corporis speciem referant. Græca enim omnia quę notabilem operis partem efficiebant, penitus interciderunt. Latina vero manca, confusa, perturbata, & vbique tam male habita sunt, vt si ipse auctor rediret, sua esse eiuraret. Nec vnde tanta iactura facile resarciri possit video, nisi Deus aliquis, velut ex machina, alicui feliciori sidere nato integrius exemplar obtulerit. Nobis enim tam felicibus esse hucusque non contigit, vt vllum nancisceremur. Nec temere inueneri posse credimus, præter illud Vaticanum, ex quo primum hi libri reparatæ salutis quadringentesimo & nonagesimo, deinde quingentesimo tertio post millesimum anno Venetijs editi sunt: vnde etiam ceteræ editiones quæcumque in Germania, Gallia, & alibi quibusdam ab ingenio mutatis & interpolatis multis etiam in deterius promanarunt. Nisi fortasse verum est, quod aiunt in Hispania quoddam delitescere. ex quo P. Chiaconius magnæ eruditionis Hispanus aliquot locis horum librorum Græca suffecit, quæ nobis à doctiss. Vialartio Roma adlata & liberaliter communicata suis locis inseruimus. Nec tamen fraudanda est sua laude Romana editio recens, in qua multa præcipuè Controuersiarum primo emendata & correcta, aliquot locis etiam Suasoriarum ex illo Vaticano codice Græca restituta sunt, quę qui primis emissionibus horum librorum præfuerunt, rara tunc eius linguæ cognitione, omiserant. Quam tamen nemini dubium est tersiorē multo & ornatiorem futuram fuisse, si numen illud inuidum magnis & egregijs conatibus intercedere solitum, doctiss. & elegan-

tiss. Mureto tantum vitæ concessisset, quantum eximię diuini eius ingenij dotes meruerant, saltem quantum perfectioni ac consummationi recensionis horũ librorum susceptæ satis fuisset. Quid autem nos hac editione præstiterimus, ex aliarum collatione quisque perspiciet. Tantum lectorem admonitum velimus, quicquid in textu horum librorum mutatum est, ex duabus illis antiquis editionibus, & epitomate huius operis, quod hactenus L. Senecæ Declamationum nomine adscriptum est, diligenter ad m. sc. exemplaria, & maxime ad antiquissimum & emendatissimum P. Pithoei, ex quo ille pridem Quinctiliani & Calpurnij declamationes vulgauit, correcto, bona fide expressum esse. Coniecturas nullas admisimus, ne pro germanis supposititia & dubia pro veris obtrudere videremur. Quæ occurrerunt (quid enim hac in re prohibet sibi indulgere quod non veritatis detrimento fiat?) in annotationes reiecimus, vt vel his frui, si modo quædam sint tam fausto Apolline natæ, vt quis inde fructus elici possit, vel sine receptæ lectionis dispendio reijci & ablegari, provt animo libitum erit: queant. Porro controuersiarum libros inscripsimus, tum quia videtur ita eos denominasse auctor Præfatione *1.* tum etiam suadente ratione. Nam cum duo sint declamationum genera diuersis operibus ab hoc auctore tractata: vt alteri Suasoriarum, ita etiam huic Controuersiarum nomen indidisse par est. Variatum tamen in hac inscriptione prioribus sæculis fuisse certum est. Io Salisberiensis sui Polycrat. lib. VIII. decẽ Rhetorum libros vocat: quomodo etiam optimus ille Pithoei codex epitomen inscribit, *Senecæ decem Rhetorum*, & quę sequuntur in eodẽ, *ex Calpurnio excerpta*

decem Rhetorum minorũ, quasi quæ pręcedant sint maiorũ: ceteri declamationũ. At declamationes non sunt: sed tantũ ex declamationibus selecta. Præterea declamationis nomen Suasorias cōplectitur. hîc controuersiæ tantũ sunt. Alter ille titulus decem Rhetorũ, ad Græcorum potius formam, qui decem præcipuos Rhetores celebrāt, quàm ad veritatem operis fictus est. Veteres editiones modo Controuersiarum libros, modo Controuersiarum sententias, diuisiones, & colores vocant. Sunt etiam antiqua quædam excerpta, in quibus Causarum nomine citentur: quomodo initio sui controuersias dictas constat. Præponunt etiam antiquæ editiones Suasorias Controuersiarum libris. in hoc tamen potius naturæ ordinem secutæ, (prius enim in ijs puer exercebatur) quàm temporis quo editæ sunt. Patet enim ex controuersia quarta libri secundi Suasorias vltimo loco ab auctore compositas atque emissas fuisse, quas ideo postponere, receptumque ordinem in recētioribus editionibus sequi maluimus. Cetera quę ad horum librorum intelligentiam in vniuersum spectant, suis locis prosequemur.

NIC.



NIC. FABRI. V. C.

DISPVTATIO.

DE MYRRHATA POTIONE.

AD ILLVSTRISS. CARDINALEM BARONIVM.

INter cætera quæ in primo Annali tuo mirè placuerunt, præcipuè docta illa & noua diſputatio de vino Myrrhato pulcherrima viſa eſt. Neſcio enim qua ratione ab antiquis patribus tam Græcis quam Latinis aut intacta relicta eſt, aut ſic tractata vt non attigiſſe videantur: de qua quid aliquando mihi in mentem venerit paucis accipe. Perſuaſeram mihi οἶνον ἐσμυρνισμένον de quo Marci. 15. penitus diuerſum à Myrrhato vino Columellæ, Plinij, Dioſcoridis & cæterorum, a Myrrhata Potione & Murrina ſiue Nectare quæ aut morbis curandis; aut voluptati gulæ, vel libidini parabantur. Myrrhati enim vini de quo agimus longe alius vſus eſt. Dioſcorides notat Myrrhæ vini ineſſe καρωτικὴν Ideò qui grauia ſubituri erant tormenta, quo fortius ea tolerarent, leuiúſque ſenſibus grauedine ſopitis afficerentur, Myrrham præſumebant. Duo huius Myrrhæ vſus inſignia teſtimonia ſuppeditabit Aſinus Apuleij; ſi modo ea parte ſtrigoſus

& malè habitus leui opera curetur. locos indicare sufficiet qua emendandi sunt. *Indidem*, inquit ille lib. 8. *sese multimodis conculcat ictibus, Myrrhæ contra presumptione munitus.* & lib. 10. *Sed obfirmatus Myrrhæ presumptione, nullis verberibus ac ne ipsi quidem succubuit igni.* Et fortasse illud medicamentum est qui sopor ab effectu latinis dictus est, cuius meminit Seneca de Ben. l. 5. c. 3. & ep. 84. si modò veterũ mẽbranarum lectionem sequamur. Illæ enim sic habent; *Veneficus est qui soporem, cum venenum putaret, miscuit.* Et, *Nec sopore sumpto dormiturum.* Nempe quo Quinctilianus declamator CCXLVI. declamatione mentem auferri ait, quo corpus grauari, quo membra solui. Ea fini Galatinus ex lib. Sanhedrim refert reis conuictis & damnatis Iudæos vinum thure conditum dedisse. Non dubito quin hebraïcum vocabulum vel Myrrham significet, vel scriptor vnde hæc transtulit thus pro Myrrha acceperit; quemadmodum ait Plinius quosdam voluisse vtrumque ex eadem arbore colligi. Planè non est obscurum quam parum constet inter recentiores Hebræos de germana herbarum, lapidum, arborum, cæterarúmque id genus rerum apud antiquos appellatione. Ex eo more non autem παίζοντες, vt volunt græci, vinum Myrrhatum Christo Domino præbuerunt. Eam fuisse B. Hieronymi sententiam, quo nemo disciplinis externis instructior, nemo rerum Iudaïcarum callentior theologica tractauit, planum faciunt quæ in Mathæum. 27. cap. notauit. Ad eum enim morem alludens, *vsque hodie*, scribit vir doctissimus, *Iudæi et omnes increduli dominicæ resurrectionis aceto & felle potant Iesum, & dant ei vinum Myrrhatum, vt eum consopiant, & mala eorum non videat.* Christus autem

qui non solum infami sed etiam crudelissimo supplicio nostra scelera luere voluit, solitum præstari vilissimis cruciariis humanitatis officium recusauit, ne pro nobis vllum cruciatum defugisse videretur.

Baronius. I. Annal. an. Christi 34. nu. 107.

SEd posteriorib. litteris quæ noster Faber addiderit, hic describamus, post multa enim officij plena hæc ait. Addi etiã posset quod habetur cap. vlt. Prouerb. Date siceram mœrentibus; Hebraïcè legi, Date quod inebriet, morientibus. Hebraïcum enim vocabulum, sichar, vel vt expolierunt Græci, σίκερα, significat, inquit S. Basilius magnus, πᾶν τὸ δυνάμενον μέθην ἐμποιῆσαι & Rabbi Moses Ægyptius, morientes, interpretatur reos, damnatos. Id etiam quod habetur Psalmo LIX. Potasti nos vino compunctionis, B. Hieronymus vertit, Potasti nos vino consopiente; & Chaldaïcus Paraphrastes, calice maledictionis; nempe quia cruciarijs maledictis à lege dabatur. eiusmodíque phrasi summam crucem designari, adnotant interpretes Hebraïci: inter cęteros vero Rabbi Sclomoh vinum illud esse cor obuoluens, & cerebrum feriens sternutaréque faciens: quod quid aliud est dicere, quam vnum istud sensus deturbare & adimere? a qua sententia nec Septuaginta longe recesserunt, qui οἶνον κατανύξεως transtulerunt. Nam Alexandrino idiomate, quo modo sacrorum librorum idioma grammatici nuncupant, κατάνυξις altum soporem & veternum significat. Ita B. Paulus ad Rom. XI. Isaiæ locum XXIX. cap. explicans, spiritum soporis πνεύματος κατανύξεως voculis exprimit, cuius etiam effectus in eiusdem Prophetæ VI. cap. subijcit,

ὀφταλμοὺς τοῦ μὴ βλέπειν, καὶ ὦτα τοῦ μὴ ἀκούειν, a compunctione toto cœlo alienos. quod agnouit Syriacus qui ſpiritum ſtupiditatis, tranſtulit. Ex eo more etiam phraſes illæ deductæ cenſeri poſſunt, quibus Dominus per Prophetas impiis exitium denuncians, ſe potui daturum eis vinum, ſiue calicem ſoporis, vertiginis, torporis, ſtuporis, ac ebrietatis interminatur. *Hæc ipſe, ad poſtremum id addens* : Hæc tamen apud me minimè tanti ſunt ponderis, vt non in tuam ſententiam cōcedam, cuius auctoritatem mihi pro ſumma lege & ratione præſcripſi. *Hactenus de his Faber, qui Chriſtiana modeſtia, magna animi demiſſione, amico victoriam cedit, qua iam propè potiturus videri poſſit. Sed nihil inferat præiudicij veritati adeò liberalis ab amico facta ſpontanea iuris ceſſio. Integrum iterum dico liberumque eſto lectori, quam veriorem putat ſententiam ſequi. Inter nos autem ita ſciat eſſe tranſactum, vt vincente veritate, cuius profeſſores atque cultores ſumus, victoriam aſſecutus vterque dicatur.*

EIVSDEM FABRI, VERBORVM ex Mathæi 18. & Luc. 17. cap. 1. expoſitio.

Si peccauerit in te frater tuus.

HVnc locum intelligi de quouis peccato ſiue morum, ſiue doctrinæ, patet ex B. Paulo, cap. 2. poſter. ad Timoth. *Cum modeſtia corripientem eos qui veritati contradicunt.* Non ait, accuſantem vel publicantem. Et apertius cap. 3. ad Tit. *Poſt vnam & alteram admonitionem,* νουθεσίαν, eam nempe quæ inter te & ipſum ſo-

lum fit, & secundam quæ adhibitis testibus, deuita, id est, habe tanquam Ethnicum & publicanum, Discrimenque tantum fieri tam à Christo quam à B. Paulo, peccatorum publicorum, & priuatorum; vt priuata, id est, ea quæ ipse solus nosti, priuatim redarguas; publica, publicè reprehendas, asserunt B. August. serm. 16. de verbis Domini, ex Math. & Beda in eum Math. locum. Licet autem B. Ambrosius expressis verbis id non dixerit, rationes tamen quas adfert præcepti, idem sensisse ostendunt; hæc enim scripsit in Lucam, *Quoniam plerumque per imperitiam error obrepit, corrigendum præcipit, vt aut pertinacia vitetur, aut prolapsio corrigatur.* Differentiámque tantum ponit inter peccatum in Deum, & in nos: quod peccatum in Deum pertinax condonare non possumus, si non resipiscat admonitus; In nos verò septuagesies septies peccanti condonandum est. Et hæc Math. verba à plærisque ita intelliguntur εἰς σε, In te, id est te tantum conscio. falluntur enim qui de priuatis iniuriis hoc accipiunt, quum Christus nihil aliud voluerit his verbis, quam occulta peccata a manifestis distinguere.

EIVSDEM FABRI, DE B. DIONISIO.

σχεδίασμα.

B. Dionysium episcopum Parisiensem eumdem fuisse qui in Areo pago à B. Paulo Apostolo cum vxore ad Christi fidem conuersus est, nemo ante Caroli Magni tempora & Ludouici Imp. eius filij, scriptis quæ ad nos peruenerint asseruit. Imo verò omnes contra senserunt. Seuerus Sulpitius non ille Bituricensis Ar-

chiepiſcopus qui Sulpicus Seuerus vocatus eſt, vixítque circa annum Domini 587. ſed Primuliacenſis presbyter, B. Martini diſcipulus, cuius etiam vitam elegantiſſimè deſcripſit, & circa annum Chriſti 400. floruit, teſtis eſt perſecutione demum quinta martyria in Galliis viſa fuiſſe, ſerius trans Alpes Dei religione ſuſcepta. Ea autem perſecutio circa annum ſalutis, 170. agitata fuit, quo tempore Lugduni & Viennæ, Vetium, Fotinum, Iræneum, Blandinam virginem, multoſque alios ſexus vtriuſque martyrium conſummaſſe teſtis eſt Euſebius. Ad hoc tempus Dionyſius Areopagita peruenire non potuit, nec eius martyrium ſtare ſub Domitiano vel Traiano, in quod tempus id reiiciunt qui diutiſſimè vixiſſe volunt in Galliis, ſi primum ibi quinta perſecutione viſi martyres fuere. Gregorius Turonenſis epiſcopus diligentiſſimus hiſtoriæ noſtræ ſcriptor & antiquiſſimus, ex hiſtoria martyrij S. Saturnini tradit Dionyſiũ Epiſcopum Pariſienſem veniſſe in Gallias, Decio ſecundum & Grato Coſſ. Lutetiæque epiſcopum factum, grauiſſimis vexatum ſuppliciis, gladio vitam finiſſe. Decius autem ſecundum cum Grato conſul fuit circa annum ſalutis, 251.

EIVSDEM FABRI. DE PRESBYTErorum cœlibatu.

σχεδίασμα.

CErtum eſt Apoſtolos, qui primi eccleſiaſticam diſciplinam ſanxerunt, non ſolum ex cœlibûm ſed etiam ex coniugatorum ordine a Chriſto aſſumptos fuiſſe. Petrum enim eorum principem, vxorem habuiſ-

se testis est eius socrus à Christo curata, & filia Petronilla virginitate & sanctitate nobilis: nec eos solum sed etiam episcopos ab ipsis creatos, & presbyteros, & diaconos cœlibes vel coniugatos ἀδιαφόρως ex actis Apostolorum liquet. In ijs enim Dionysium Areopagitam cum vxore Damari conuersum, episcopum Atheniensium constitutum fuisse, & ex 70. Diaconis Philippum & Nicolaum vxores habuisse in cõfesso est, Quod ad quartum vsque sæculum post Christum natum & vltra obseruatim fuisse probant historiæ Ecclesiasticæ. Verum vt hæc vera esse fateamur oportet, ita etiam constat eos qui coniugati in clerum assumebantur, de cætero vxores habuisse tanquam non habentes & à thoro separatos fuisse. De Apostolis nemini dubium esse potest, qui non etiam de veritate euangeliorum dubitarit. Ita enim cap. 19. Math. profitentur se omnia reliquisse vt Christum sequerentur, quod ex ijsdem Christus ait, quia parentes, liberos, vxores, reliquerunt, duodecim tribus iudicaturos Israel: Et quicumque eos imitatus fuerit centuplum accepturum & vitam æternam consecuturum. De cæteris testis est B. Hieronymus contra Iouinianum lib. 1. *Certè confiteris non posse esse Episcopum qui filios faciat, alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur.* Epistola ad Pammachium 50. in fine. *Episcopi, presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur aut vidui, aut certe post sacerdotium in æternum pudici.* Idque in orientali ecclesia obseruatum fuisse testis est idem B. Hiero. aduersus Vigilantium. *Quid facient orientis Ecclesiæ? quid Ægypti & sedis Apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut si vxores habuerint mariti esse*

desinunt. Ex ijs factum Paphnutij, de quo Socrates lib. 1. c. 8. & Sozo. lib. 1. c. 22. omnino suppositìtium esse patet, & præcipue ex ipso concilio Nicæno, quo vetitum est ne clerici vllas mulieres subintroductas domi habeant, præter matres, sorores & filias, nulla mentione facta vxorum. Ad subdiaconos item hãc legem pertinuisse, testis est Epiphanius hæresi 59. & Leo primus epist. 82. cap. 2. ad episcopum Thesalonienſem. *Cum extra clericorum ordinem constitutis nuptiarum societati & procreationi filiorum studere sit liberum, ad exhibendam tamen perfecta continentiæ puritatem, ne subdiaconis quidem carnale connubium conceditur, vt qui habent sint tanquam non habentes, & qui non habent permaneant singulares.* Hæc in Ecclesia vniuersali viguit disciplina, donec quidam eam sensim infringentes, cœperunt non alios ordinare diaconos nisi primum vxores duxissent, contra quem errorem iam suo tempore inolescentem scribit. B. Hiero. contra Vigilantium. Latini perseuerantiores fuerunt in semel tradita disciplina, vsque dum circa annum Christi 900. & quod excurrit spatio 200. fere annorum, non solum Ecclesia Romana, sed etiam tota Italia, Gallia & Hispania agitatis Saracenorum & Normanorum variis incursionibus, atque etiam intestinis discordiis, disciplina ea neglecta & obsolescente, ita ecclesiasticorum mores impudicitia inuasit, vt maior clericorum pars vel concubinas publicè aleret, vel etiam vxores palam duceret. Contra quos Gregorius septimus. 7. 11. . . . .

NICOLAI



NICOLAI FABRI V. C. POEMATA.

DECEM DEI MANDATA.


HÆc sculpsit lapidi quondam quæ dextra Tonantis
Iussa suo populo, memori tu mente repone.
Gens mea, non aliud me præter numen adora.
Sculptilibus nec flecte genu, pictæue tabellæ.
Neue meo nomen vano temeraueris vsu.
Septima lux tibi sit diuino dedita honori.
Sit tibi vterque parens post me venerabile nomen.
Cæde manus prohibe. Sis mente & corpore castus.
Non sit dextra tagax. Non mendax lingua. Propinqui,
Contentus propriis, nullam rem liuidus optes.
Hæc fac vitæ opifex dixit, viuésque beatus.

Ἄλλως.

Ille ego sum Pharij premerent cum vincla tyranni
Seruitio exemi qui te: glebisque solutum
Niliacis, propria feci consistere terra.
1 Non Deus est alius, nullum me præter adora.
2 Non pictum, sculptumve puta venerabile quidquam.
3 Nomina non vsu temerabis nostra profano,
4 Septima quæque dies nostro requiescat honori.
5 Vilis amandorum non sit tibi cura parentum.

6.7 Percute nec quemquam, fulchrum violare pudicus
8 Alterius noli. Non rapto viuere. Dictis
9 Fratris opes, famam, vitam non lædere falſis.
10 Quæque aliena, tua contentus ſorte, nec optes.

De Natiuitate Christi.

Et virgo & mater, Chriſtum ſatis iſta loquuntur,
Eſſe Deum virgo, Mater & eſſe hominem.

De infantibus cæſis.

Infantem infantes Chriſtum agnouere cruore
Fuſo, quem lingua non potuere loqui.

De ſancto Stephano.

Cum moriens odium votis precibuſque rependis,
Quam benè te Chriſti diſcipulum eſſe probas!

VI. EID. JVL. cIↃ. IↃ. XCIII. QVO DIE
L. annum vitæ ſum ingreſſus.

Térque quatérque mihi ſeptenos vita per annos
Acta eſt, octauam iam terit Hebdomadam,
Ex quo mens exul tenebroſo carcere vincta
Corporis, à propriis mœret abeſſe bonis.
Accipe mens omen, Iubilæus ducitur annus
Iſte tibi, patriæ reſtituere tuæ.



Summe Deus quod vita ſui peruenit ad æui
Metam, mens grates ſoluere noſtra nequit.
Atque vtinam grates tantum deberet, abuſa
Sed donis, pœnas promeruiſſe dolet.

Promerui, nec quî soluam mihi suppetit; híncque
Me timor æterni carceris excruciat.
Tu superas spes vna mihi Deus optime, fusus
Christe tuus sanguis nomen vtrúmque luet.

EPITAPHIVM SEPVLTI *in templo.*

Quod superest ex me terris, hîc conditur; vsque
Dum iubeat sisti me tuba iudicio.
Non meruisse scio; meritis si nitimur, ecquis
Hospitio dignum se putet esse Dei?
Purus ad hîc manat Christi de vulnere sanguis:
Hæc mea spes, maculas abluet ille meas.
Atque vt terrena corpus requiescit in æde,
Ætherea mentem sic dabit arce frui.

Ecce Aurora diem reddit, iam sidera cœlo
Pulsa latent, noctis discute segnitiem.
Lux Deus est, huius lucis nos pignora; amemus
Lucis opus: noctem, germina noctis amant.
Vt cum nox oculis solem subduxerit atra,
Luceat in nostris lux tamen illa animis.

Si nihil est somnus, vitæ pars altera nostræ,
Quam rigidæ mortis lætior effigies.
Horrendúmque Dei si cunctos ante tribunal
Sistere iudicio lex violenta iubet.
Aurem vellentis totiens obliuio mentes
Cur tenet, vt mortis non meminisse queant?
Cur male congestis opibus superaddere semper
Flagitio tentant deteriore, nouas?

Meráque cum vitæ propè ſit, cur finis habendi
Nullus; vita velut ſit data mancipio.
Noſtráque vel lateant diuinam crimina mentem:
Vel ſi non lateant; rideat illa tamen?
O miſer hoc quiſquis credit; miſer ô quoque quiſquis
Hoc minime credens non minus illa facit.

JN SVAM EFFIGIEM QVAM *B. precibus depingi permiſit.*

Pluribus inſignes rugis, oculóque minore
Quod referat vultus picta tabella meos,
Non ego Suffenus iuſſi depingere: Burlo
Extortum hoc noſtri pignus amoris habet.
Sic eat, & noſtra lætetur imagine ſemper:
Sícque illi nunquam quod petat ipſe negem.

DE DECRETO SENATVS JV. KAL. *Iul. 1593. Pro lege Salica.*

Mutus erat Crœſi gnatus, verùm ora reſoluit
Aſſyrio patrem vidit vt enſe premi.
Sic loquitur quæ muta diu, nunc Curia Patrum,
Hiſpano patriam cum videt ære premi.
Clamat vterque eadem, Regem ne tollito, vtrique
Par pietas voces elicit ore pares.

IN SVVM MORBVM.

Hoc vnum eſt ſtudium nobis conquirere libros
Aut veteres, vel quos rara taberna tenet.
Spernimus at veterum mores, ſequimúrque recentes
Et quos fex populi, vulgus inérſque probat.
Scilicet eſt nobis librorum cura bonorum,
Non morum, ô mores pe......

IN OBITVM P. CANAII. I. C.

Tandem ergo venerande ſenex nos deſeris, iſtis
Turbinibúſque, Deo vindice, liber abis.
Obticuere tuæ non flexa oracula vocis,
Et dubiis totiens lingua probata reis.
Non aliter pax vlla bono ſperanda, quietis
Hos inter fluctus non licet eſſe piis.
Hanc nec opes tribuere tibi, nec frontis honeſta
Canities, vitæ rectaue norma tuæ.
Non per Olympiadas tibi tot ſuſcepta clientûm
Milia, non primæ gloria parta togæ.
Cana fides ſæclo non ſat fuit apta nouanti,
Cenſuram ſceleris credidit eſſe ſui:
Nunc vero immixtus diuis hęc deſpicis, alto
E cœlo, & rides pectora cæca hominum
Sanguine certantum toto pro ceſpite vili,
Quo nos victores mores ſinet atra frui:

IN EMBLEMA CVIVSDAM *virginis, in quo cor flammis circundatum lauros producens, cum hoc hemiſtichio,* *Faciunt incendia lauros.*

Flamma eſt virginitas, flamma quid purius? illa
Fronde velut laurus, perpete laude viret.

ALITER.

Quænam flamma potens lauros producere? quiſnam
Ille ignis, cuius tacta calore virent?

Hoc, Iouis irati nequeunt quos Mulciber ignes
Fabricat, aut cæci flammea tela Dei.
An pius est ardor quo tu succensa Camœnas
Diligis, & lauri cingis honore caput?
An Christi, cui te, corpusque, animumque dedisti
A teneris, cuius te sacer vrit amor?
Sola hæc æternas faciunt incendia lauros:
Cætera vel cineres, perpetuamve crucem.

EX GRÆCO NAZIANZENI, *in tetrasticis.*

Τὸ δραστικὸν δείκνυε μὴ τῷ δρᾶν κακῶς.

Nunquam nocendo, sed nocendi quanta sit
Tibi potestas, si quis implorat tuam
Opem, probabis. Nam nocere quantulum est?
Tantum cicuta, Scorpius tantum potest.

Aliter.

Nemo suo damno, tibi sit quam magna potestas.
Sentiat, officiis plurima posse proba.
Quantula enim laus est, vel multum posse nocere,
Frigidus hoc serpens, hocque cicuta potest.

EX GRÆCO CAMERARII *imitatum.*

Quamuis agendę quod necesse sit tibi
Vitę, doceri cuncta qui scit non queat,
Tamen rogari quando se iussit Deus

Cuius voluntas ratio est potens satis,
Obtemperare oportet eius legibus;
Nec ipse queras curiose iusserit
Cur sic, satis sit ille quod iusserit
Quem par iubere, téque cui per obsequi.
7. Cal. Oct. 1594.

FABVLA NARCISSI.

Narcissus liquidis formam dum spectat in vndis
Miratúrque, sui captus amore perit.
Ficta quidem vates referunt, non vana: peribit
Sic miserè quisquis se malè sanus amat.

IN OBITVM CVIVSDAM infantis.

Nec te blande puer tacitum mens saucia fletu
Prætereat, paucas quin tibi dem lachrymas.
Qualescumque tui superant a funere patris,
Is siquidem exhausit lumina nostra dolor.
Blande puer pia cura patris, votumque, animúsque,
Quo tamen haud longe fata dedere frui.
Námque quater binos nondum confecerat orbes
Cynthia, & huic summę quinque dies aberant,
Ex quo natus eras, patrię cum stamina vitæ
Ruperunt nentes tristia pensa Deæ.
Grande domus columen nostrę, murúsque suorum
Concidit, & vitę luxque oculusque meæ.
Noxa tamen poterat reparari tanta, dedisset
Annos si ad metam ducere parca tuos.

Spem dabat ille decor, vultuſque expreſſa paterni
  Effigies, magni hæc ſigna fuere viri.
Spes tamen ô fallax, viſiſque ſimillima noctis,
  Quę ſopor abſcedens vana fuiſſe probat.
Nondum ex hoc Phœbus bis ternos lampade menſes
  Luſtrarat, luces his deerántque duę,
Cum te parca rapit, rerum dulciſſime, & vnam
  Spemque meam obſcuris votáque mergit aquis.

EPIGR. Ναυτίλε μὴ πεύθου. &c. pag. 253.
Edit. H. Steph.

Nauita, ſim cuius tumulus ne quære, ſed ipſe
  Aequore tu poſſis proſperiore frui.

EPIGR. Ἄτρομος ἐκ τύμβου, &c. pag. 252.

Intrepide ex noſtro tumulo date vela, natabat
  Atque alius fauſte tunc quoque dum perij.

EPIGR. Οὗτος ὁ πρὶν, &c. pag. 307.

Tantalus hic quondam ſolitus conuiua Deorum
  Hauſtu nectareo pellere ab ore ſitim.
Nunc medio ſitiens latices in flumine captat,
  Nec captata ſinunt ſe inuida pocla bibi.
En pictura iubet venerari ſacra ſilentij,
  Aut eadem cunctos vel grauiora pati.



ILLVSTRISS. CARDINALI BARONIO.

NIC. FABER S.



QVOD tandiu post acceptum gratissimum amplitudinis tuæ munus. Card. Illustriss. atque doctissime, vndecimum videlicet Annalem tuum nulli priorum eruditionis reconditæ varietate vel accurata diligentia inferiorem, vt quantum ætas de corporis tui viribus deterat, tantum ingenio ipsa addere videatur, Quod, inquam, huc-vsque nihil litterarum a me acceperis, non pigritia vel officij mei obliuioni, sed soli temporum conditioni morbóque difficili ac diuturno quæ desiderium meum retardarunt adscribi velim. Nam cum illum fœcundissimi tui ingenij fœtum euoluens incidisse in validissimam Monarchiæ Siciliensis expugnationem, subit statim animum ante viginti annos in manus meas deuenisse grande instrumentorum ad varia S. R. Ecclesiæ iura spectantium volumen, cuius prior pars tota de vtraque Sicilia agebat. Id autem cum inter schedia, vbi neglectum iacebat, reperissem, deprehendissemque multa in eo contineri quorum mentionem non fecisses, continuo de ipso ad te mittendo cogitaui, nec deerat, vt mihi videbatur, oportunitas: Tunc enim illustrissimis Dominus Alincurius à Rege Christianiss. ad piæ recordationis Pontificem summũ Clemẽtẽ octauum orator delegatus profectio-

ni se accingebat, cum quo nobilis ille adolescens N. a quo priorem eam partem præfati voluminis accepisti, profecturus, claritate tui nominis virtutisque admiratiõne accensus, me rogarat vt si quid perferendum ad te haberem, id suæ fidei committerem. Verum non solum eorum iter inopina ac præceps duorum summorum Pontificum mors distulit, sed etiam molesta febris ne iis discedentibus ad te scriberem impediit. Misi igitur quod solum tunc potui prædicti voluminis eam partem quæ disputationi tuæ vsui esse potest, quam ipsi Domino N. tibi reddendum tradidi; Quamuis autem verear ne ista quæstio plus tibi molestiæ atque inuidiæ allatura sit quã sacræ sedi vtilitatis, in eo tamen velut in cæteris te diligentissimi historici veritatísque accuratissimi indagatoris atque assertoris officio functum esse non solum conscientia iuuabit, sed etiam apud optimos ac sinceros rerũ æstimatores omnibus sæculis laudem suam inueniet. *Habet hoc magna fortuna*, inquit ille, *quod nihil tectum, nihil occultum esse patitur.* Ad nos vsque peruenit quanta excelsi animi atque inuicti magnitudine quorumdam de ea quæstione calumnias coram frequentissimo purpuratorum Senatu sustinueris atque velut folia farfari dissipaueris, in qua qui dicunt se magis offendi asperitate quam sibi fingũt verborum, quam rei argumento, vereor si verum fateri vellent, ne mordacitatem veritatis asperiorem multo simplicitate orationis, qua veritas vti solet, ipsi sentiant. Eadem illa fortuna tua ad nos detulit, qua animi moderatione in duorum Pontificum summorum electionibus te gesseris, in quibus quantum alij vt ad eam dignitatem proueherentur laborabant, tantum ipse ne assumerere

timuisti, & cum tibi suffragiis delata esset, recusasti. Macte esto his virtutibus heroïcis, generosissime Cardinalis, Deúsque indefessus sponsæ suæ protector quod vt ambitiosorum suffragia à te auerteres commentus es, ad centesimum vsque vitæ annum te peruenturum rato omine Christianæ religionis bono, præstet ac efficiat. Atque hæc quidem virtutum tuarum admiratio à me expressit. Porrò his litteris adiunxi exemplar donationis Othonis tertij discipuli Gerberti qui Siluester 2. dictus est, ex eodem illo volumine instrumentorum cuius supra mentionem feci transcriptum: tum etiam duorum capitum priorum libri quarti Esdræ ex manu-scripto Bibliorum codice non admodum vetusto ab editis valde diffidentium, vtrumque, ni fallor, valde sublestæ fidei. Othonis tamen donationem ea ratione misi quod sciam ipsam in quorumdam manus deuenisse qui eam typis mandaturi sint, qua vulgarem Constantini donationem, cuius artificem in hac Othonis donatione sibi persuadent, nominari exagitent. Duo autem illa capita, quod eam varietatem libri licet apocryphi antiquissimi tamen, cuiusque magni viri Clemens Alexandrinus & B. Ambrosius auctoritatem non defugerunt, doctissimis illis viris qui elegantissims vtriusque linguæ Bibliorum editionibus præfuerunt non ingratam fore existimauerim, & in eo vtilem quod ex isto fragmento quædam in editis emendanda percepturi sint. Quos, vt per transennam hoc dicam, non satis percipio vnde persuasi, tertium Esdræ librum, item & orationem Manassis Græcè non inueniri crediderint, cum tertius ille liber Esdræ exstet editus in tribus Bibliis Græcis in germania editis ante annum Domini CIↃ IↃ LV. & in edi-

tione Aldina anni clɔ.Iɔ.XIII. nisi quod in Aldina, primus liber Esdræ dicitur, primúmque in ea locum occupat, quemadmodum etiam tempore Athanasij primum locum tenuisse patet ex eiusdem Sancti Patris synopsi librorũ vtriusque testamẽti, si modò eius legitimus est liber ille fœtus; Oratio vero Manassis Græcè habeatur edita in Græcorum horologijs, & à Græcis in quotidianis precibus singulis diebus recitetur. Adderem quod Remigiũ inter eos qui in Psalmos & Prophetas abhinc nongentis annis scripserunt Bedæ præposuerunt, quasi ille sit Renigius Rhemensis episcopus, cum sit Antisiodorensis episcopus, Bedæ multo iunior & Haymone Rhabanoque Haymonis discipulo posterior. Molestus tibi esse desino si de venerando SS. Theologiæ Doctore P. B. qui euiditissimos tuos annales in nostratem linguam vertendos agressus est, ac de quo ante aliquot menses ad me scripsisti, rationem reddidero. Is antea mihi penitus incognitus, vt primum tuas litteras accepit abhinc mense vno primum eorumdem Annalium librum in mundum redactum & editioni paratum ad me misit. Vidi, legi, & cum tuis Annalibus contuli; rectus mihi labor ille visus est, sententiam tui animi optimè vbique assequitur & sequitur, vbique vestigiis tuis insistit, nullibi ordinem turbat, quædam contrahit, pauca omittit, sed constante semper tua sententia. Quæ ipse ex te in prima persona dicis, vt cum lectores alicuius rei animaduertendæ admones, vel inter dissidentes sententias tuam interponis, in tertia persona exprimit, addito semper honorifico tuæque dignitati conuenienti elogio; Dictione vtitur plana & facili, non affectata sed recta quæ Theologum deceat, ita vt eum fidi & reli-

giosi interpretis officio functum esse perspicias. .....
Vale.

Jllustriss. Cardinali Baronio.

Nic. Faber. S.

CVm mihi permulta grata sunt, Cardinalis amplissime atque illustrissime, quæ mea commendatione adductus in plures amicos contulisti, tum imprimis quod nostrum Puteanum, singulari vt ipse prædicat humanitate, beneuolentia, & facilitate excepisti. Etsi enim id maximè bonitati tuæ naturæ debeat, quæ, studijs litterarũ, exercitiísque Christianæ pietatis adaucta, & corroborata accessione summæ dignitatis, ac potestatis iuuandi quam plurimos, ad supremum liberalitatis atque munificentiæ gradum euecta est: quia tamen mihi honorificum atque gloriosum aliquid apud te posse existimo, propensæ tuę voluntati meam commẽdationem cumulum addidisse, facile mihi persuadeo. Hoc igitur ad vetera nomina, quibus omnia tuæ amplitudini debeo ac cupio, nouum accedet, cui soluendo numquam esse posse volens lubensque profiteor. Cum enim magnitudo tuorum beneficiorum dignitatísque tuæ præstantia referendæ gratiæ viam præcludãt, hoc solum superest, vt quod æs tuum persoluere nequeam, libenti gratóque animo debeam. Grati huius in me animi fidem facient quæ ad te mitto. Nempe fragmenta ex capitularibus regum nostrorum, in quibus non pauca quæ ad statum Ecclesiæ Gallicanæ cognoscẽdum faciunt deprehendes, & libri ab Humberto cõ-

tra Michaëlem Archiepiscopum Constantinopolitanum, & Accidanum Bulgarorum episcopum de rebus inter latinos & Græcos controuersis, quorum Sigebertus & alij meminere, conscripti. Hos tamen vereor ne frustra, transcripti enim sunt ex codice litteris recentibus italicis conscripto, ab Italia hûc delato. Vnde par est eos integriores in vestro antiquitatis thesauro vaticano melioresque exstare. Ad hoc saltem non frustra quod nullam tuis desideriis inseruiendi occasionem à me prætermitti probabunt. In quo sane, quod me vehementer in admirationem rapit, si modò molestus non sim bona tua venia adiungam: Multas Bibliothecas antiquis codicibus refertas cum priuatas tum etiam publicas excussi, tot celeberrimorum tamen conciliorum quę ab anno salutis milesimo, quatuor sequentibus sæculis in Italia, Gallia, & Germania ad Constantiense concilium vsque coacta sunt, nullius acta præter ea quę apud historicos habentur reperire contigit, cum tamen antiquorum conciliorum in Græcia celebratorum Græceque scriptorum atque etiam secundi Nicæni cōcilij acta, ab Anastasio Bibliothecario atque aliis Latinè versa, inueniantur; quod an temporum istorum ignauiæ tribui debeat ignoro, qui contenti iis quæ à maioribus acceperant, sua neglexerunt. Sed sacris tuis occupationibus longior sum, sacræ enim absque adulatione dici possunt quæ non nisi circa res sacras diuinásque versantur, finem igitur huic epistolæ facio, si te. . . . . .

Clarissimo viro D. Nicolao Fabro Fredericus Card. Borromæus. S.

PErillustris & eruditissime Domine. Eras mihi antea notus & scriptis tuis & sermone multorum: sed notior factus es ab eo tempore, quo Olgiatus in Italiam ex Gallia rediit. Hic enim assidua prædicatione tuæ pietatis singularis cum eruditione coniunctæ, non modo tuum nomen apud me illustrius reddidit, sed meam quoque erga te beneuolentiam prouocauit, quam vt iustificatione aliqua declarare tibi non dubitarem, fecerunt litteræ æquè pij & eruditi viri Frontonis Ducæi eadem quę Olgiatus de egregijs animi tui dotibus multo planius & certius confirmantis. Amo itaque te, mi Faber, cupioque dari occasionem amoris re ipsa testandi mei. Tu me vicissim fac ames, atque omnia à me tibi semper parata esse & fore existimes. Vale, Mediolani: XII. Kal. Maij. CIↃ IↃ CVIII.

Illustriss. ac Reuerendiss. Domino Fred. Borromeo S. R. E. Cardinali religiosissimo.

Nic. Faber. S. D.

VT primum illustrissimum nomen tuum, Cardinalis Amplissime atque religiosissime, litteris quas ad me dedisti subscriptum oculis affulsit, statim animum cogitatio perculit, vndenam te virum generis dignitatisque splendore clarissimum, ingenij animique

dotibus ornatiſſimum & quod familiam ducit, pietate ac religione gentilitijs Borromeæ familiæ laudibus ſuper æthera notum, beneuolentiam tuam in me ſcriptione teſtandi, & ad cultum tuum inuitandi voluntas inceſſiſſet. Conſcius enim quam ſit mihi curta ſupellex, vt id faceres relatio doctiſſimorum virorum. R. P. Frōtonis, & tui Olgiati non ſatis idonea viſa eſt quæ te mouere debuerit, qui ſi quid honorificè de me narrarunt, potius ingenita bonis mentibus benignitate, qua maxime ducuntur qui ſtudijs humanioribus imbuti ſunt, quam certo iudicio fecerunt. Et certe fruſtra erit qui extra te humanitatis tuæ ac māſuetudinis rationem, aut in te aliam quam Chriſtianam caritatem non modo humanitatis fontem vberrimum, ſed etiam totius ædificij Chriſtiani columen καὶ τελειώσεως σύνδεσμον, vt eam indigitat Naziāzenus, inueſtigare voluerit. Eximiam iſtam virtutem cum nobiliſſimæ veſtrę familiæ propriam ac hereditariam continua poſſeſſione fecerint præclariſſimus auus tuus Gibertus, & Beatiſſimus patruus, nil mirum ſi tantorum Heroum herēs, nec ignarus rebus pretium perſoluere verum eam præcipuam in eorum bonis duxeris, atque ex aſſe creueris. Hæc autem, vt inquit Apoſtolus, οὐ ζηλοῖ, πάντα πιστεύει, quo fit vt qui ipſam perbiberunt τῇ τιμῇ ἀλλήλους προηγούμενοι facile de aliis optima ſibi perſuadeant. Quod igitur tantus vir me beneuolentia proſequeris, quod iſtum animi tui affectum litteris ſignificare dignatus es, totum hoc Patri luminum δωτῆρι ἐάων, ſingularíque tuo in omnes amori, ac excelſi animi piæ demiſſioni adſcribo. Huic autem honori quandoquidem in referenda gratia par eſſe nequeo, vt labem gratitudinis euitem alicunde verſura mihi

mihi facienda est. A quo autem potius quam ab eo, qui cum ipsi ferè singulis momentis decoquamus, mala tamen nostra nomina semper expedire paratus est? Deum igitur. . . . Vale in longos annos, vir Maxime, Ecclesiæ tuóque bono. Lutetiæ Parisiorum XV. Cal. Quinct. an. Domini. CIↃ IↃ CVIII.

Reuerendiss. atque eruditiss. Doctori G. Vossio Ecclesiæ Tungrensis Præposito.

N. Faber. S. P. D.

EX quo scripta tua in meas manus venerunt, præcipuè primus B. Ephrêm tomus, quę enim abs te ante emissa grauis & laboriosi huius operis veluti pręludia fuere, Egregiæ illæ præstantis ingenij animíque tui dotes quæ in ijs elucent, ita me deuinxerunt tibi, vt ex eo tempore felicem illum diem mihi fore statuerim qui tibi aperiendi huiusce affectus occasionem offerret. Hoc desiderium meum, mirum quantum sustinuerint atque etiam auxerint eiusdem patris reliqui duo tomi, & Gregorius Thaumaturgus; In ijs enim exhuberantis ingenij fœtibus cum exactam vtriusque linguæ peritiam omniúmque bonarum artium cognitionem ostẽderis, tum etiam in vertendis græcis auctoribus explicandisque antiquorum scriptis tantam dexteritatem exhibuisti, in asserendis fidei Christianæ dogmatibus tam acre iudicium, in formandis moribus iuuandáque omni ex parte ecclesia studium adeò feruens, vt qui te ob istas virtutes non amet, diligat, amplectatur, gustum vllum pietatis sinceræ habere se difficilime probet.

Omitto libros de cõsideratione B. Bernardi in quibus licet fortaſſe minus olei quam in cæteris impenderis, non tamen minus zeli domus Dei nutantíſque diſciplinæ in ea reparandæ oſtenderis. Ibi enim libros huic rei aptiſſimos, quoſque non malus auctor & D. Bernardo ferè æqualis non ἀπροσδιόνυσον Deuteronomion ſummorum Pontificum appellat, edendos curaſti quo primum ab auctore religioſiſſimo deſtinati ſunt, vbi tamen forſitan minus terebantur. Tandem, expectatam diu occaſionem præbuiſſe mihi viſus eſt vir optimus Michaël Sõnius Bibliopola, cum enim ab eo accepiſſem ſibi tecum eſſe litterarum commercium, abſolutáque B. Leonis opera à te expectare, ſubit cogitatio non ingratam rem facturum, ſi tres eiuſdem ſanctiſſimi patris ſermones ex veteribus membranis ante aliquot menſes tranſcriptos, ſi fortè tuam diligentiam effugiſſet, ad te mitterem. Statim igitur illi initia eorumdem ſermonum, quibus an inter tuos exſtarent, dignoſceres, dedi. Ergo quandoquidem ex tuis ad eũdem Sonniũ, 3. Nou. ipſos tres ſermones inter tuos non extare ſignificaſti, ipſos ad te eo lubentius mitto, quod in ijs elegantiam diſertiſſimi patris, clauſularum rotunditatem, preſſumque dicendi genus, mihi agnoſcere videor. Qui Proſpero adſcribitur eiuſdem eſſe auctoris cum reliquis, argumento ſunt ſtyli ſimilitudo, & quod auctor ipſius de ſe velut Pontifice Ro. loquitur. Quamuis enim opera Proſperi vſum fuiſſe B. Leonem dicant, nemo tamen mihi perſuadeat diſertiſſimum Pontificem alia verba emendicaſſe, & pro ſuis ad populum pronuntiaſſe. . . . . .

N. Faber Franciſco Balbo cognato ſuo. S. P. D.

PErgratum mihi eſt, Franciſce Cariſſime, ex tuis litteris te ſanum valentémque degere, nec nos tibi excidiſſe animo percepiſſe. Nam & amicorum proſperitatibus letari conuenientiſsimum, & ſentire te amari ab eo quem diligis, iucundiſsimum in vita arbitror. Ego tuorum morum facilitatem & ingenium ad artes egregias . . . . . & propenſum amplector & oſculor: hæcque in te amãdo potius quam cognationem ſequutum profiteor. Quod autem te & noſtra conſuetudine primari, & libris deſtitui fers ægrè, & ſi humaniter facis, caue tamen ne non ſatis videare horum temporum cõditionem perſpectam & exploratam habere. In hæc enim tempora incidimus in quibus abunde rebus affluere putandus eſt qui ad vitam neceſſariis non indiget, & in ſumma fœlicitate conſtitutus qui penitus miſer dici non poteſt. Nos libris abundamus, cæteris deficimur: quorum inopia adeo moleſta eſt, vt parum abſit quin libros quoque odioſos efficiat. Ecquem enim iuuat in tanta rerum omnium confuſione, publica calamitate affectum, muris vrbis non aliter quam laxioris cuiuſdam carceris detentum, aliquid animoſe in ſtudiis adgredi! Et hæc fortaſſe vtcumque tolerari poſſe viderentur, ſi aut aliquem eorum finem proſpicere valeremus, vel non in dies deteriora timeremus. Sed hæc θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. Nos interim θεοῖς ἕπεσθαι diſcamus, καὶ θέλειν τὰ γινόμενα γίνεσθαι ὡς γίνεται, animo reputãtes illud Tragici ὅστις δ' ἀνάγκῃ συγκεχώρηκε καλῶς, Σοφὸς παρ' ἡμῖν, καὶ τὰ θεῖα

ἐπιστολῶ. Porrò non vulgare illud benignitatis diuinę erga te iudicium esse putato, hac tempestate eam tibi vitæ conditionem obtigisse in qua & absque animi solicitudine viuere, & si non tua studia quantum voles prouehere ea tamen non interrumpere liceat. Camertis cõmentarios in Melam & Solinum mitto, Dionysiíque Afri græcam περιήγησιν, eumdémque latine editam cum aliquot aliis eiusdem instituti opusculis. Praxim Geometricam nondum nancisci potui, cum primum licuerit ad te mittam . . . . . . Vale & nos vt facis ama.



FR. BALBI EPISTOLA
AD. NIC. FABRVM. V. C.

CVM

NOTIS ALIQVOT IN EPISTOLAM D. AMBROSII AD EPISCOpos per Æmiliam.

CLARISS. VIRO IAC. AVG. THVANO, SACRI CONSISTORII Consiliario ac Senatus Præsidi.

FR. BALBVS. S. D.



ÆC effudi olim ludens, Præses amplissime, nil agens minus quam vt legerentur. Visa tunc ad rem, id est, ad præfationem in D. Hilarij fragmenta facere ei qui, nescio an ex amore nimio, meas quandóque faciebat aliquid nugas; adhortatus est, iussit vt ederem non lapsa sed auulsa de manibus. Et verò tuo nomine: vt me in partem eius quate colebat obseruantiæ vocaret, & quod æquum censeret, cui fundus legatus esset, eidem hæc reddi quibus instrueretur. Cùm ergo illa, his nominibus, tui et publici iuris facta sint, mihi religio fuit, dum eamdem præfationem recenseo, hæc paucula subtrahere, tanti quondam viri iudicio, & ni fallor, silentio doctiss. temporum emendatoris adprobata, in noua Eusebij et canonum Isagogicorum editione, in qua altum silentium de Palilibus, à quibus tamen in lib. de emendatione tẽpore epocham Diocletianiam incœperat: ac ea quæ de primo anno Diocletiani in sequentis Paschæ diem reiiciendo, & multa alia quæ ex coniectura in D. Ambrosij epistola emendanda primus obseruaram, confirmata leguntur: vt haud sciam an aliter ac à nobis præstitum est, huic epistolæ Ambrosianæ quis mederi possit. Id quãtulumcúmque sit, expressit hoc à me olim decu[illegible] tuæ virtutis eximiæ, cui, si non pigeat, iterum voueo suspendóque hoc mei in te obsequij pignus. Vale.



NIC. FABRO. V. C. FR. BALBVS. S. P. D.

INDEFESSI animi est (vir Ornatiss.) non vinci laboribus, ingentis & magni eo subsilire quo premitur. Non sat visum tibi noctu diuque vigilare in Principem, communi Patriæ bono, quam hoc beneficio totã deuinctam tenes, & in Sparta hac Augustissima adornanda meditari vndique quidquid est in sacris nostris præclari. Horæ tuæ quantulæcunque subseciuæ sunt perpetuò moliuntur aliquid in litterarum decus, nec vacuum te sinunt in secessu à curis publici boni. Mittis Præfationem in D. Hilarij libros à doctiss. Pithoeo tuo tuæ commissos fidei, pellegi; quid sentirem minutulus? verè tuus fœtus. Te locus vnus tantisper, ais, moratus est; quo die nempe celebratum fuerit Pascha anno Domini CCCLIX. Multis te rationibus adduci vt credas celebratum prid. Non. April. Subduxi calculum vt iusseras; plana adeo visa omnia vt neminem putem qui dum hæc legerit, tuæ non subscribat sententiæ. Cyclus enim solaris IIII. decemnouennalis XVIII. littera domin. C. si vsu recepta fuisset, quod semel professum esse sit satis, Ergô Paschatis dies prid. Non. April. Et verò id certum adeo ex cyclorum doctrina, vt ne cõtrouersum quidem à Latinis hoc anno, qui aliàs plerunque ab Ale-

xandrinis dissentiebant. Sed quid moror? sententiam tuam confirmat illa quæ tibi negotium facessit D. Ambrosij epistola ad Episcopos per Æmiliam, si modo numeri in ea corrupti emendantur; qua disertè asserit celebratum Pascha IX. Cal. Maias (ita enim legendum probabimus) sequenti anno, LXXVI. scilicet à die imperij Diocletiani, Christi vt coniicio CCCLX. quod fieri non potuit ni antecedente anno peractum sit prid. Non. April. Non quod me fugiat veros Diocletiani imperij annos non ab omnibus cœptos numerari ab hac epocha, quæ procul-dubio ex constanti cyclorum doctrina à CCLXXV. Christi, seu mauis ante MCCCXIII. annos incipienda est. Verum sanctissimi & eruditiss. Ambrosij auctoritas, & qui emendatiores leguntur ex antiquis monumentis desumpti fasti consulares, diuelli me à tot patrum & conciliorum subscriptionibus non aliter sinunt quin putem hæc ita concilianda omnia. Vt Diocletianus Augustus sit dictus anno Christi CCLXXXIIII. hanc autem epocham initium duxisse à primo Paschate imperij sui: anno quippe sequente Christi CCLXXXV. Certum enim ex Vopisco coætaneo scriptore, Probum (qui imperare cœperat circiter annum Christi CCLXXVIII.) interfectum quinto anno imperij sui: Ex historiarum fide & legum nostrarum inscriptionibus secundo hinc anno post Carum & Carinum Coss. Numerianum factum Consulem, & occisum; statim & sub fœtore cadaueris, vt refert idem Vopiscus, Diocletianum Augustum appellatum, addo & suffectum Consulem, ne nuspiam in fastis primus eius Consulatus legatur, septimo scilicet à primo Probi, Id est, Christi CCLXXXIIII. Quo autem die ambigo, certè à

III.

III. Cal. April. quo edita lex IX. tit. XXII. lib. IX. Cod. nulla quod ſciam alia legitur Numeriani ſubſcripta nomine, præter legem IIII. tit. XI. lib. X. Cod. quæ ſi, vt in prioribus editionibus, corrupta non legatur, edita fuit III. Cal. Sept. Carino & Numeriano Coſſ. Ex his ſaltem quæ diximus adducor vt credam acta hęc poſt paſcha celebratum, vt primi imperij paſcha incidat in annum ſequentem. De ipſis enim Palilibus (quidquid ſentiant plæríque) nil habeo quod affirmem ex Panegyricis, ex quibus cõſtat quidem Maximiano dictum panegyricum Palilibus vrbis, Sed mos hic Romanorum fuit feſtis diebus plærumque, vt innuit auctor eiuſdem panegyrici initio, quo Palilia vrbis præcipue celebranda Diocletiano & Maximiano imperantibus aſſerit, quippè *cum ſint*, ait, *Imperij reſtitutores, verè dici conditores poſſint*, ita vt primi dies eorum imperij, reiiciendi ſint in diem natalem vrbis ac perinde cenſendi; cui non ab ſimile eſt quod à Caligula decretum fuiſſe refert Suetonius, *vt dies quo cœpiſſet imperium, Palilia, vocaretur, velut argumentum rurſus conditæ vrbis*; vt verear ne quædam huiuſce panegyrici verba perperam accepta primum huius auctorem ſententiæ in errorem inuexerint, cuius fidem creduli nimis cæteri ſecuti ſunt Chronographi magni nominis. Videtur autem Onuphrius primus hallucinatus lib. 2. faſt. ſub initio imperij Diocletiani, quem ait Parilibus ipſis, id eſt XI. Cal. Maij, imperium ſuſcepiſſe, Diocletiano II. & Ariſtobulo Coſſ. Imo & ſequenti anno, Maximiano & Aquilino Coſſ. iiſdem Parilibus, Maximianum à Diocletiano creatum Auguſtum: vt addictus Panegyriſtes verbis perperam intellectis, rem in hiſtoria non ita obuiam coactus ſit aſtrue-

re, ab omnibus veteribus ſcriptoribus prætermiſſam. Quem tamen ſecuti ſunt Card. Baronius in annalibus, ad annum Chriſti 284. & alij: &, quod maxime miror, ipſemet temporum emendator doctiſſ. lib. 5. cap. de initio Diocletiani. Ardua præteritorum repetitio, non humanũ eſſet neutiquã impegiſſe. Quod autẽ diximus primum Diocletiani imperij verum annum in CCLXXXIIII. Chriſti incidere, ſtare aliàs non poſſunt quæ de annis LXXXIX. (ſic enim legendum oſtenſurus ſum poſtea) & XCIII. refert idem Ambroſius hâc eâdem epiſtolâ. Si enim LXXXIX. Diocletiani imperij anno celebratum paſcha prid. Cal. April. cycli decemnouennalis agebatur annus XIII. cycli ſolaris XVIII. F. littera dom. Ergo ex vulgari calculo cyclorum annus Chriſti CCCLXXIII. à quibus ſi aufferantur LXXXIX. anni, ſupererunt CCLXXXIV. Item ſi XCIII. anno à die imperij Diocletiani incidit XIV. luna V. idus April. die dominica, cyclus decemnouennalis agebatur XVII. ſolaris XXII. littera domin. A, annus Chriſti CCCLXXVII. Vides igitur quæ de celebratione paſchatis IX. Cal. Maias (ſicuti legendum contendimus) ſcripſit D. Ambroſius, intelligenda quidem eſſe de anno à die imperij Diocletiani LXXVI. & eo qui huic reſpondet anno Chriſti CCCLX. Sed præſtat ipſum Ambroſium audire, ſcatentique mendis eius epiſtolæ quod ſum pollicitus medicinam conari. En igitur breues in eam notas, cauſam dicam, ſententiam ſi placet feres.

Notæ ad epiſtolam LXXXIII. *lib. x. D. Ambroſij ad Epiſcopos per Aemiliam, de celebritate paſchali.*

PAtres ex Nicæna] Quot olim in Eccleſia de obſeruatione cultus paſchalis excitati ſint tumultus, no-

runt qui callent ecclesiasticam historiam; ad quos compescendos multi præscripti canones tum à synodis Nicæna, Antiochena, & Chalcedonensi, tum à Pontificibus Rom. Pio, Eleuthero, Victore & aliis, qui visi quandoque pugnare inuicem. Quid censuerit Nicæna synodus variè ab auctoribus traditur. Græcum canonem refert Turrianus ex collectione Constantini patriarchæ, sed qui nil aliud præ se ferat quam Latinos cum Græcis debere conuenire. Asserunt multi certos à synodo prescriptos dies post æquinoctium: Sed quid necesse fuisset Latinis, vt Cyrillus refert apud Nicephorum, quotannis ab Alexandrinis certum diem paschalem accipere? Si enim cyclus ἐννεαδεκατέριδος æquè sancitus à synodo ac dies Dominica post XIIII. lunam primi mensis, cur Latini dum ab eiusmodi cyclo non inficiantur desciscere, se XIIII. lunam primi mensis obseruare adeo constanter asseuerant? Putem ergô Synodum quidem disertè promulgasse & obsignasse receptum iam, si credatur Socrati, à maiori parte Ecclesiæ canonem de celebritate paschali die Dominica post XIIII. lunam primi mensis: vnde verò incipiendus primus mensis esset, & qui singulis annis XIIII. lunæ assignandi essent dies, nil dictum à patribus: nisi quod vt à dissentionibus temperaretur, Alexandrinis, qui plurimum hac in re semper visi sapere, cycli ἐννεαδεκατέριδος statuendi (vt ait noster Ambrosius) aut eius qui apud eos erat publicandi (Diocletianeum enim assumpsere) addo & quotannis interpretandi, ne frustrà sint epistolæ Paschales, demandata sit cura, quo luna XIIII. statuta paschalis, quæ æquinoctij diem Martij XXI. attingeret aut proximè sequeretur, & ita fortè interpretandus Ambr. & plerique Patres dum id

ad ipſam Synodum referunt. Verùm non tanta huic cyclo fides adhibita, vt ſolet, quanta canoni ipſi; vnde à quibuſdam facilè diſſenſum, præſertim Latinis, nec embolismorum ſublata diuerſitas, nec diei, non quidem dominicæ ſed πάσχατος σταυρωσίμου, vt patet tum ex hac Ambroſij, tum ex Leonis LXV. epiſtola. Et verò turba illa cyclorum quæ Nicænam ſynodum ſecuta eſt, lites, controuerſiæ inter patres natæ omnes ex primi menſis & paſſionis diei quærela, qua nil apud auctores frequentius, Epiphanium puta hæreſibus LXX. & L. Leonem Papam & alios pleróſque, ne bis eodem anno ſanctum hoc feſtum perageretur. Quod Græci & Alexandrini vitaturos ſperabant, ſi lunam primi menſis dicerent cuius initium vicinius æquinoctio, id eſt XIIII. luna æquinoctium non anteuerteret. Latini verò Aprili menſi addicti prorſus, quo Paſchalis luna finiretur, & menſi Martio quo inciperet, vt innuit hac epiſtola D. Ambr. in mentione menſium Aprilis & Maij, non referre contendebant an XIIII. luna æquinoctium attingeret modo poſt æquinoctium paſcha celebraretur. Et harum diſſenſionum ergô, vtrique Calendario cycli decemnouenalis inſerti diuerſi numeri qui emboliſmeos annos notarent; ac obſtinanter adeò concertatum, vt nec eodem die ab vtraque eccleſia plerumque feſtum hoc celebratum ſit, his præſertim annis quibus noua luna in V. & VI. dies Martij incidebat. Idque præter contentionem paſchatis σταυρωσίμου καὶ ἀναστασίμου, paſſionis & reſurrectionis. Quam vtramque controuerſiam motam paret ex hac epiſtola anno ſequenti quo edita eſt, vt ſtatim liquebit. Nec, vt verum fatear, huc vſque certi adeo quidquam definitum, quin proximè ſequenti anno nos cele-

braturi simus pascha post ipsam quidem XIIII. lunam, sed ante plenilunium verum.

Sicut futurum est proximè] Ex his verbis & quæ infra sequuntur [*hoc est* XIIII. *Calend. Maij*] colligo hæc scripta fuisse anno Domini CCCLXXXVI. & quæstionem motam de sequente anno Christi CCCLXXXVII. Diocletiani CIII. Si enim XIV. luna die Dominica, & XIV. Cal. Maias, Ergo cyclus decemnouenalis *VIII.* solaris IV. littera Dom. C. qui cycli cis hæc tempora non alio anno concurrunt, præterquam CCCLXXXVII. Christi. Et edita epistola anno præcedente.

Octogesimo autẽ annò & nõagesimo tertio.] hæc verba (*nonagesimo tertio*) irrepsere ex his quæ scripta erant (*nono anno*) vnde planè legendum coniicio (*octogesimo & nono anno*) quo cyclum decemuenalem XIII. inuenio. F. litteram dom. ampliatúmque pascha in prid. Calend. April.

Et vigesimo & octauo die Pharmutij] delenda (Et) prima particula ac legendum, *vigesimo & octauo die Phamenoth mensis* qui respondet IX. Calend. April.

Rursus nonagesimo & tertio] Nam hoc anno cyclus decemnouenalis agebatur XVII. Solaris XXII. littera dom. A. & celebratum pascha Pharmuti XXI. die, id est *XVI. Calend. Maias.* & ita scribendum est.

Hoc est III. Calend. April.]lege, *XIII. Calend. Aprilis.* Hinc autem apparet suprà rectè emendatum, *Phamenoth.*

Et incipit sexto] Puto legendum. *Et incipit primus sexto*; Vt sit sententia: Non mirum esse si post primum mensem, qui XII. Cal. April. & XI. Calend. Maij circumcluditur, hoc anno celebretur Pascha; cum primo men-

se celebrari nõ possit perpetuò, nisi à τεσσαρεσκαιδεκατήταις seu ab his qui non alio quam XIIII. lunæ die celebrant. Imo Iudæi qui omnium maxime XIV. lunam obseruant, quæ sequenti anno incidet in XIV. Cal. April. diem quippe Veneris, celebrando paschati minus idoneum, idipsum peracturi sunt XIII. Cal. April. id est XXIV. die Phamenoth mensis duodecimi, nõ primi, secundum Ægyptios. At vero Græci primo Ægyptiorum mense, id est VII. Cal. Maias, XXX. scilicet Pharmuti mensis die.

Vnde & maiores nostri.] Græcos intellige, quibus à XXII. die Martij ad XXV. diem April. pascha omnino celebrandum est, qui dies præter quinque vltimos facilitatis seu necessitatis causa additos, componunt mensem Pharmuti æquinoctialem non vulgarem.

Sed cum ante biennium] Non quadrant quæ sequuntur cum τῷ biennium. Nam anno Diocletiani centes. litteræ dom. G. F. cyclus decemnouenalis V. celebratum pascha IX. Cal. April. Anno XCIX. Diocletiani, littera dom. A, cyclus decemnouenalis IV. celebratum pascha V. idus April. Legendum ergo viennium, ex quo factum τὸ biennium. Quo anno, Diocletiani scilicet XCV. Christi CCCLXXIX. F. littera dom. cyclus decemnouenalis XIX. celebratum pascha XI. Cal. Maias, hoc est XXX. die mensis Pharmuthi æquinoctialis.

Vides Non. Maij] Cum enim noua luna primi mensis ex Alexandrinorum cyclo incipere possit vel V. Apr. fit vt Nonæ Maij primo lunari mensi includantur aliquando.

Sicut & LXXVI. anno die imperij Diocl.) Id est paschate LXXVI. Christi anno vt demonstrauimus suprà CCCLX. quo A littera assignanda fuisset dom. numerus cycli de

cemnouenalis XIXrius XIIII. luna XVI. Cal. Maij, dominica sequens IX. *Cal. Maias*, atque ita sanè legendum est, & respondet hic dies, XXVIII. Pharmuti mensis. Nec quemquam moueat quod vulgò vt & apud Stophlerum, numerus XIX. è regione IIII. diei April. inseratur. error enim ille corrigendus est cum ex hoc loco, ex quo patet XIIII. lunam in diem dom. id est XVI. diem incidere atque ita nouam incœpisse tertio; tum ex Bedæ computis & cap. XVIII. libri de tẽporum ratione. Nata difficultas ex irregularitate anni decimi noni cycli & saltu lunæ, de quibus idem Beda & alij.

Quoniam XXI. *luna*] Nam hoc anno, Diocletiani quippe CIII. (non autem LXXVI.) celebratum pascha VII. Cal. Maij, sub littera C. dom. à quo ad V. April. quo noua erat luna, XXI. dies computantur.

Hæc equidem breuiter, sed plura non ausus, ne commentaria viderentur non notæ. Quantulacumque sunt æqui precor bonique consulito, & me, si placet, vt facis ama. Vale. Non. Octob. anno Domini. CIↃ. IↃ. XCVII.

Lettres de monsieur le Feure, a l'Autheur du precedent discours, sur iceluy.

MOnsieur mon Cousin .... iay aussi affaire de sçauoir en quel iour estoit la feste de Pasques en l'an *359*. apres la Natiuité de Iesus Christ, ie trouue qu'elle estoit le 25. Auril, ce qui conuient auec le sicle solaire qui couroit lors 4. & la lettre Dominicale C. Toutesfois i'y trouue vne difficulté d'vn passage d'Epiphanius, qui semble donner a entendre qu'il fut le 4. dudit mois

d'Auril, ie vous prie faictes en le calcul, & voyez si nous nous accorderons ensemble . . . . . .

Monsieur mon cousin vous m'auez faict vn singulier plaisir de m'auoir mandé vostre aduis, & qui me confirme à ce que ie me doutois, mais toutesfois que ie n'ausois asseurer pour la deffiance que i'ay tousjours de moy, Et l'authorité de sainct Ambroise, qui en l'epistre *ad Episcopos per Aemiliam constitutos* dit que *anno Diocletiani 76. pascha celebratum est 7. Cal. Maias.* Car si *Diocletianus imperium iniit anno Christi 283. septuagesimus sextus eius annus incidet in annum Christi 359. quo Eusebius & Hypatius consulatum gesserunt, aut falsus ille apud Ambrosium numerus.* Ie vous prie veoir ceste epistre de sainct Ambroise lib. 10. epist. 83. Leo en ses epistres *asserit aliquando pascha in* 7. *Cal. Maias incidisse, annum tamen minimè notat. Sed video Bedam anno Christi 891. qui Dionysiani cycli 532. annorum est 359. pro te facere. Nam eo anno lunam 14. ponit 4. Cal. April. pascha pridie Non. April.* Ce qui me faict arrester-là, & recognoistre que je n'entens ceste epistre de sainct Ambroise. Il à esté imprimé à Rome je voudrois que y eussiez veu ceste epistre. Baronius qui suit l'opinion que les ans de Diocletian commencent *anno Christo 284.* dit que cela se preuue par ceste epistre-là de S. Ambroise par ce que en *364.* & *377.* qui sont les *80.* & *93.* annees de Diocletian 14. *luna fuit 9. Cal. Apr. & dies paschatis prid. Cal. Ap.* son authorité me fait *suspendere assensionem* iusques à ce que i'en aye veu la preuue, car il ne le demonstre pas, *sed tantum auctoritatem peritorum in astrologia indefinite adfert. Perge istam viam, hac itur ad astra, & me ama* comme celuy qui suis . . . . .

DIVERS

DIVERS DISCOVRS ET LETTRES, DV SIEVR LE FEVRE CONSEILLER ET PRECEPTEVR DV ROY.

R



DISCOVRS DE LA IVSTICE & misericorde de DIEV, en la punition de ceux qui l'ont offencé, & s'il punit les vns pour les autres. Sur l'Histoire de la mort d'Achan en Josué. Chap. VII.



TANT s'en faut que l'on puisse remarquer en Dieu trop de seuerité, que s'y quelque excez pouuoit tomber en ceste tant excellente nature (ce que penser seulement est blaspheme) il se trouueroit plustost en la misericorde que en la Iustice, *Misericordia*, dit le Prophete, *Domini supra omnia opera eius.* C'est la cause pourquoy Ionas ne vouloit aller à Niniue Dieu le luy ayant commandé, craignant que comme il est misericordieux, il ne reuocast à la priere des Niniuites la Sentence donnee contre eux, comme il aduint, & par ce moyen qu'il ne fust reputé faux Prophete, ayãt predit leur ruïne qui ne seroit aduenuë. Mais combien que la misericorde de Dieu soit pardessus toutes ses œuures, il nous faut tenir toutesfois ceste maxime, que Dieu est tres-juste en ses plus grandes misericordes, & tres-misericordieux en ses plus seueres punitions & rigoureuse Iustice ; par ce que toutes perfections sont en DIEV en souuerain degré, & iamais ne se depart d'vne pour suiure l'autre, n'ayant en luy, comme dict S. Iacques, aucune mutation ny seulement ombre ou

forme & apparence de changement. Et pource toutesfois & quantes que nous lisons és sainctes lettres ou allieurs, ou que nous voyons en ce monde des exemples de la Iustice de Dieu, où les Innocens sont enuelopez auec les coulpables en mesme punition, comme en la questiõ proposee d'Achã, & en la subuersion de Sodome & Gomorrhe, és pestes, guerres, famines, que nous experimentons iournellement, & autres fleaux de Dieu, desquels il visite son peuple, & chastie ceux qui l'offencent, *Quo iudicio quave Misericordia fuerit irrogata mors etiam infantibus, sinamus id latere apud eum apud quem non est iniquitas. Nec aduersus consilium eius murmuremus, sed hoc quoque ignorare saluberrimum esse credamus, & libenter ignoremus quæ nos ignorare vult.* Voilà ce à quoy S. Aug. veut que nous nous resoluions; Et neantmoins voyons, tant qu'il plaira à Dieu nous en faire la grace, si par la conduite de ce St. Pere, nous ne pourrions point entrer plus auant en ceste question, & tirer quelque raison apparente de tel iugemẽt de Dieu. Car c'est chose certaine que iamais Dieu ne punit l'vn pour l'autre, & l'ame qui offencera mourra, & celle qui n'offencera point viura; parce que toute punition se faisant pour quelqu'vne de ces causes, ou toutes ensembles, C'est à sçauoir pour la correction & amandement de celuy qui est puny; pour la consolation & recompence de celuy qui est offencé, & pour l'exemple des autres à ce que par telle punition ils soient destournez de meffaire, aucune de ces causes ne peut auoir lieu ny venir à son effect, si la punition n'est faite sur celuy qui a offencé. Celuy qui aura failly ne s'amendra pas si vn autre est puny pour luy, celuy ne satisfera pas à l'offen-

cé si vn autre y satisfait qui n'ayt commis la faute, ny l'Innocent puny ne destournera pas le meschant de mal faire, ains plustost le confirmera d'auantage en sa malice, dont il s'ensuit que toute punition doibt tomber sur celuy qui à fait la faute, ce qui cause la doubte de la question proposée. Or pour la resolution d'icelle vient à considerer, que Dieu punit aucunefois les hommes ou en leur particulier pour l'amandement de eux-mesmes, ou en general, pour le chastiment & correction de tous: en leur particulier, comme le fut Dauid a cause de l'adultere & homicide par luy commis en Vrye & sa femme, lequel il chastia par le meurtre & rebellion de ses enfans, & par la mort de celuy mesme prouenu de l'adultere. En general pour la correction d'vn peuple & du public, comme les Pestes, Guerres, Famines, Tremble-terres, Inondations & telles autres calamitez publiques. Combien que en toutes ces deux especes de chastimens, le Iuste se puisse trouuer affligé pour le meschant, & les enfans pour les fautes des Peres, toutesfois parce que cela se voit plus souuent & plus manifestement aux calamitez generales & vniuerselles, ausquelles l'homme de bien & le meschant, le ieune & le vieil, l'enfant encore a la mammelle & la mere sont acablez en vne mesme ruine, Ie traicteray des calamitez publiques, par ce que la Iustice d'icelles estant entendüe, il sera facile de cognoistre combien sont iustes les particulieres. Il est certain que toutes punitions se font plustost pour le regard de l'aduenir, à ce que telles fautes ne se commettent plus, que pour le regard du passé, ce qui est fait est fait, & ne peut plus estre qui ne soit fait, *Nemo prudens*, dit Seneque, *punit quia pec-*

catum est, sed ne peccetur. Ce qui est d'autant plus vray aux afflictions generales, esquelles pour l'exemple des vns, Dieu veut amander les autres & les amener à vne meilleure vie. Or en telles punitions la peur & la crainte y seruent plus que le mal & tourment, parce que enuers ceux qui ne s'abstiennent de mal faire par la raison, la seule crainte leur sert de bride. Quand à la crainte il est certain qu'elle consiste plus en l'opinion qu'en la verité, car chacun craint de perdre non ce qu'il a de meilleur, mais ce qu'il ayme le plus, ou d'endurer non ce qui est le plus mauuais, mais ce qu'il a plus en horreur. Vn bon pere chastiant ses enfans, regarde plus à leur donner terreur de la peine, que non pas à les offencer & leur nuire; ainsi Dieu menassant ceux qui contemnent ses commandemens, promet les affliger de pestes, famines & guerres, les priuer de leurs biens, honneurs & libertez, voire de les reduire en telles miseres qu'ils seront contraincts de manger leurs propres enfans, Bref de les exterminer iusques aux enfans de la mammelle: il leur propose donc plustost telle sorte de punition que l'Enfer & damnation eternelle, parce qu'il cognoist que les hommes en ce monde sont plus esmeus de la perte du present & crainte de telle misere, que non pas de la terreur de ce qui pourra estre fait d'eux apres ceste vie. Or la cause pourquoy Dieu enuelope en son ire le bon & le meschant, l'enfant encore innocent & le vieillard obstiné en son peché, est afin que les autres voyans ceux qui sont meilleurs que eux punis par nostre Dieu qui est si misericordieux, ils entrent en l'apprehension de leur faute, & s'en retirent, de peur d'experimenter les mesmes chastimens, où

